

EX LIBRIS J. SYBERTZ

Nf. 120.
2.

4

DISSERTATIO
CANONICA
DE
ECCLESiarum PAROCHIALIUM
SÆCULARITATE,
EARUMQUE UNIONE SUBJECTIVA
MONASTERIIS FACTA,

A U T H O R E

JOANNE GEORGIO SCHLÖR,

DOCTORATUS THEOL. CANDIT. J. U. L. IN HOSPITALI ELECTORALI MILITUM
AD S. JOANNEM BAPTISTAM MOGUNTIAE p. t. PAROCHO.

Die 19. Julii Anno 1753.



M O G U N T I A E,

Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. privil. apud Haeredit. Haessner.
per Eliam Petrum Bayer.

Eminentissimo ac Celsissimo
PRINCIPI AC DOMINO,
D. JOANNI
FRIIDERICO
CAROLO
S. SEDIS MOGUNTINÆ
ARCHI - EPISCOPO,
S. R. I. per Germaniam
ARCHI - CANCELLARIO;
PRINCIPI
ELECTORI,
Episcopatūs ac Principatūs Wormatiensis
COADJUTORI
Domino, Domino meo Clementissimo.

EMINENTISSIME
AC
CELSISSIME
ARCHI-EPISCOPE
PRINCEPS ELECTOR
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME!



Ignare EMINENTISSIME ac CEL-
SISSIME ARCHI-EPISCOPE, PRIN-
CEPS ac ELECTOR! tenues has
pagellas Clementissimo oculo
aspicere, quas è Xenodochio infiriorum ad-
repens ARCHI-EPISCOPALI & ELECTORALI so-
lio Tuo humillimè deponere præsumo. Agunt
illæ de Ecclesiarum Parochialium Sæcularita-
te, earumque Unione Subjectivâ Monasteriis
factâ, & nemini potiore jure debentur, quam
ARCHI-EPISCOPALI ac ELECTORALI CELSITU-
DINI

DINI TUÆ, in qua dignitas Archi - Episcopalis & Electoralis tam felici Unione conjunguntur, ut meritò quis dubitet, Majórne sis in Ecclesia Archi - Episcopus, an major in Imperio Elector, Utriusque munera tantà adimples gloriâ, ut in utraque dignitate retrò sæcula vix viderint parem, Superiorem neminem, dies noctésque consumis arduis inten-tus laboribus, ut tam ad intra, quàm ad ex-tra contra quoscumque illibatè conserves ju-ra Tua & Archi-Episcopalia & Electoralia à Majoribus & Primitivis Sanctis Patribus Tuis tanto sudore, tot sanguine acquisita, à glo-riosis Antecessoribus Tuis tot inter discrimi-na ad hæc usque tempora absque diminutio-ne propagata: Opus non est longiori panegy-ri hæc omnia singulatim recensere, cùm in re ubique notoria testes habeas primates tam per universalem Ecclesiam, quàm per universum Imperium: Unum super est, nempè: ut mecum boni omnes Deum ter optimum indefessis precibus exorare collaborent, quatenùs clementissimè dignetur ARCHI - EPISCOPALEM & ELECTORALEM CELSTITUDINEM TUAM velut Pa-trem

trem Patriæ tamdiu salvum & incolumem
conservare, donec in glorioſo regimine atti-
geris annos primitivorum Sanctorum Patrum
Tuorum S. Bonifacii primi Archi-Episcopi,
& S. Willigisii primi Electoris, ac tandem cum
illis, quam terra dare nequit, dignam in cœ-
lis mercedem accipias. Ita vovet

**EMINENTISSIMÆ
AC ELECTORALIS
CELSITUTINIS TUÆ**

Servus ac Capellanus inservitus

JOANNES GEORGIUS SCHLÖR

L. B.

Quinam ad beneficia præsertim curata assu-
mendi sint, Sacerdotes Sæculares, vel quan-
do loco borum ex capite Unionis etiam ad-
mittendi Regulares, in præsenti pro mea te-
nuitate discutiendum assumpsi: Evidem per multa, quæ
ad hujus materiæ argumentum pertinent, jam lucem vi-
derunt. Verum gliscentibus partium studiis Scenæ in-
serviunt subinde Scriptores diversa planè dicturi, si aliam
sors personam imponeret: adeoque inter varias, ac con-
trarias opiniones, ubi difficilis electio est, ut certum quid
statuere, ac regnam habere possimus, tres in totidem ca-
pitibus enumeratas positiones ut fundamentales ac uni-
versales ex primis principiis Veritate solâ duce selegi:
Maxime autem, quia privatorum suffragium raro finè
invidia, finè suspicione est, autoritatem ex Decisioni-
bus Rotaribus, ac Summorum Pontificum Oraculis desu-
mendam duxi. Cætera de partitione operis, deque totâ
Dissertationis formâ æquus & B. L. judicabit, ac si
quid humani passus sim, secundum æquanimitatem suam
cuncta, cum primitiæ sint, in optimam partem
interpretabitur.

X 3

ELEN.

ELENCHUS.

Caput I. Beneficia curata sive parochiæ de & per se sunt beneficia sacerdotalia Sæcularibus conferenda.

Caput II. Ecclesiarum Parochialium Unio subjectiva Monasteriis facta : vi cuius facultatem habent exponenti Regulares.

Caput. III. Unio subjectiva, quam concludenter probata esse debet.



CAPUT I.

BENEFICIA CURATA SIVE PAROCHIÆ
DE ET PER SE SUNT BENEFICIA SÆCULA-
RIA SECULARIEUS CONFERENDA.

§. I.

Nomen Parochi Ethniciis olim haud ignotum erat: Parochus græcè à *præbendo* dictus, qui peregrinantibus & Legatis publicè Romam missis necessaria præbebat, ut notavit *Acron ad illud Horatii lib I. serm. satyræ 5.* proxima campano ponti, quæ villula tectum præbuit, & Parochi, qui debent ligna, salémque. Aliter Parochus idem ac Nymphagogus vel Paronymphus, communius verò Paræcus appellabatur: Paræcia enim antiquis significabat sacram viciniam sive plurium domorum conglobationem, vel conventum eorum, qui ejusdem erant fani consortes, ac propterea Paræcus erat præcipuus in ejusmodi sacra vicinia,

A

cinia,

Nomen Pa-
rochi & pa-
rochiaz.

cinia, sive in spiritualibus præpositus. *Barbosa de offic.*
& potest. Paroch. p. I. C. I. Ptosec., in prax. Episc, tom. I.
p. 2. C. 3. Art. 3. n. I.

Hodie sublatu isto discrimine Parochia & Paræcia idem significant, sæpè sumitur pro ipso districtu, & limitibus, quibus continetur populus alicui Ecclesiæ deputatus, subinde etiam sed latius significabat totam diœcesin ut c. 3. c. 14. de Parochiis, & alien. Paroch. strictè sumpta est locus certis limitibus contentus, sive certa Ecclesia alicujus Diœcesis, quæ habet populum suis limitibus competenti autoritate distinctum, ac simul Presbyterum sive Rectorum, à quo populus ille Sacramenta, verbum divinum, & alia spiritualia percipiat: *Panormitan. ad rubric. tit. 29. de Parochiis.* post Joannem Andream, & cum eo communiter omnes. Proinde Parochus hodie apud Christianos est sic dictus à partitione curæ, qui commissæ plebi pabulum salutis, & spirituallia ministrat. *Valens. lib. 3. tit. 29. Wagnereck ad rubric.* ejusdem tit. aliás curatus ab animarum cura, Rector à regenda Ecclesia, Plebanus à commissa plebe, Persona ex usu Anglico, juxta quem Parochia Personatus audit. *Wagnereck ad lib. I. tit. 28. de Offic. Vicarii c. I. notam. 3.*

§. II.

Origo pa-
rochiarum
& divisio.

Originem Paræciarum inquirentes alii ad posteriора Anacleti & Evaristi, alii ad Dionysii tempora descendunt, dicentes tum Parochias strictè sumptas pro curæ portione tantum intra particularem diœcesin suis se divisas, idque ex decreto sancti Anacleti Papæ in Epist. 3. quam ad omnes Episcopos & Sacerdotes scriptis: Evaristus I. teste Platina in ejus vita Sacerdotes per sim-
gulas

gulas urb̄is curias circa annum 110. cūm augeretur Romæ numerus fidelium, distribuit, qui sacra populo præberent; deinceps circa annum 260. vel 66. Dionysius Pontifex similem per universum orbem fecit Parochiarum distributionem curionibus seu Parochis pro necessariis ad vitam assignatis decimis, quæ intra terminos Parochia cujusque continentur, cuius hac super re ordinatio extat in Epist. ad severum relata in c. I. XIII.
quest. i. Verū originem Paræciarum melius ad tempora Apostolorum referimus cum Card. Baron. & Theophil. apud Barb. de offic. & potest. Paroch. n. 18. ubi juxta exigentiam necessariae administrationis Sacramentorum primū in civitatibus ad imitationem Synagogæ veteris Testamenti Parochiæ constitutæ sunt, sic sanctus Paulus ad Titum c. 1. reliqui Te Crete, ut constitutas per civitates Presbyteros. Jacobii 2. C. infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ. per Presbyteros non nisi Parochiale munus administrantes intelliguntur, & ad Seculum 10. usque Parochos fuisse appellatos Presbyteros fuisse probat Ramus D. Joannes Marangoni in Thesaur. Parochorum. Maximè hoc procedit, si Paræciæ latiss pro tota diœcesi sumantur, nam 1. Petri 5. c. fit mentio Episcoporum, & Episcopatum, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiae, & Bithyniæ; *Pascite*, inquit S. Petrus, qui in vobis est gregem Dei: extant & alia documenta in epistolis Divi Pauli, ut legenti patulum est. Ante Dionysianam Diœceseos divisionem, in Parochias districtus Episcopales fuisse, vulgatum est ex Cathedra Petri Antiochena & Romana, & Sancto Cypriano Dionysii coævo dicente Epist. 52. Jam pridem per omnes Provincias, & per Urbes singulas ordinati sunt Episcopi, qui per Sacerdotes ad nutum, & beneplacitum à se missos

A 2

cum

cum assignatione determinati temporis, modi, & limitum suæ administrationis diœcœses suas administrabant.
Barb. l. c.

Dissentientes apud *Barb. l. c.* vel intelligunt stabiles certis limitibus distinctas Parochias cum assignatione congruae, vel rurales, quas tribus prioribus Sæculis ruri fuisse nullas ex S. Ignatio, Justino, & Canonibus Apostolorum, item Eusebio, & Innoc. I. fusè ostendit *Thomassin p. 1. lib. 2. c. 21.* præterquam in Cathedrali, ubi Episcopus resideret, ratio hujus asserti clara ac patens est, quod operarii inter initia ob persecutiones semper pauci, sed eorum charitas multa fuerit, multa vis animi, & peritia; dispersis itaque illis per urbes brevi ad vicina quæque loca eorum doctrina pervadebat; siquæ inter Athanasium, & Epiphanius pugna sit, de Parochiis in agro Alexandrino sitis, quas hic nullas, ille non paucas memorat, vel secundum Athanasium pronuntiadum erit, vel potius aliter & aliter interpretandus erit ager, ut proxima urbi nullæ fuerint Parochiæ, aliquando remotores fuerint non paucæ in majoribus vicis.

Succedente tempore ob multiplicationem populi Christiani, & efficacius ejusdem regimen Episcopi ruri Ecclesiæ, & limites designabant, Rectores stabiles constituebant, imò novissimè per Concilium Trident *Seß. 24. de Reform. c. 13.* adhuc specialiter statutum ut Episcopus distincto populo assignet Parochum in locis, ubi Parochianis non ratione domûs & domicilii, sed familie tantum promiscuè Sacra menta administranteur, cuius divisionis ratio est, imò ne ordo Ecclesiasticus confundatur,

tur, néve una & eadem Ecclesia duarum quodammodo
fiat Diceceleon cum gravi incommodo subditorum. 2dū
ut fideles in quolibet loco Personam haberent, quam fa-
cile in omnibus occurritis & necessitatibus spirituali-
bus convenire possent. 3tiū ut Pastores pauciores sub
sua habentes directione ovium saluti melius possent in-
vigilare.

§. III.

Parochorum institutum non ab homine, sed à Deo originem duxisse ex sacra pagina docetur. *I. ad Corinth. c. 12. posuit quosdam Deus Apostolos, & ad Eph. 4. quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores & Docto-* Institutum Sacerdotum Secularium immidiate à Deo est.
res, in Apostolis instituti sunt Episcopi habentes plenitudo-
nem potestatis in se tanquam legitimos successores
transfusam. *Conf. CC. Trid. Sess. 23. Can. 6. Si quis di-
ixerit in Ecclesia non esse Hierarchiam divinā ordinatione
institutam anathema sit.* Jam ad istam Hierarchiam di-
vinitus institutam referuntur Parochi, quos Apostolus
Pastores & Doctores nominat, & frequentissimè ex §.
præcedenti in S. Scriptura Presbyteri nomine veniunt.
Dicuntur successores septuaginta duorum Discipulo-
rum Christi, & Prelati secundi ordinis dignitatis vel
honoris, quibus ex statu, & ordinario jure convenienter
actus Hierarchici primariè, essentialiter, & immediate
à Christo: *juxta Gerson tom. I. pag. 137. apud Thomassin.
p. 1. lib. 2. C. 26. n. 1. ubi affert citatus Germon censuram
facultatis Theologicae Parisiensis anno 1408. editam ad-
versus falsas & temerarias quasdam propositiones Jo-
annis Gorel Franciscani, qui subscribere coactus fuit
duabus propositionibus, ut Antidotio loco esse possent*

A 3

ad-

adversis ejus errores, quarum ima haec est: *Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati & Hierarchæ ex primaria institutione Christi, quibus competit ex statu juxta prædicandi, jus confessiones audiendi, jus Sacra menta Ecclesiastica ministrandi, sepulturas dandi, jus insuper decimas, & alia iuræ Parochialia recipiendi.* Anno 1429. similiter Joannes Sarrasinus Ordinis Dominicani sequentem propositionem subscribere jussus est. *Omnes potestates jurisdictionis Ecclesie, aliæ à Papali potestate sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem & collationem primariam: à Papa autem & ab Ecclesia, quantum ad imitationem & dispensationem ministerialem. Hujusmodi potestates sunt de jure divino & immediate institute à Deo &c.*

Blandè itaque solatur Ecclesiam S. August. in Ps. 44. dum illud: *pro Patribus tuis nati sunt tibi filii.* Sic explicat alloquendo Ecclesiam: illos constitui in sedibus PP. non ergo te putas desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es, de prole tua tibi crevit aeternitas, pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constituies eos Principes super omnem terram,

§. IV.

Officium
eorum &
Cura ani-
marum,

Parochi constituti super omnem terram, tanquam Pastores & Doctores: sive quod idem est, Status Ecclesiasticus Parochorum & Sacerdotum Secularium, quem modò à Christo immediate institutum diximus universitatem curæ quo ad omnes aetates Pastorales demandatam habet, trahitque ab ipso Ethymo Orthodoxæ Ecclesie denominationem, & idem sonat ac universalis: Hi miseri sunt, non aliunde intraverunt. Hi cum Apostolo dicere

cere possunt, quāro, non quod mihi utile est, sed quod multis: Hi Ecclesiastici ad Eph. 2. cives Sanctorum & domestici Dei super ædificati super fundamentum Apostolorum: Horum Officium & institutum est, ut priam ita aliorum promovere salutem, habent non tantum posse, sed & debere, non solum licentiam, verum & officium, onus, & debitum curandi animas, quod involvit obligationem curandi eas ex lege justitiae, ne dum legalis, sed & commutativæ, vi cuius juratò se obligant ad danda spiritualia, ad publicè docendum Christianæ vitæ principia, ad pascendum populum verbo & exemplo. Ecclesiastici statu solum est licet administrare Sacra menta, ut tradit CC. Trid. Seff. 24. c. 15. de Reform. ibi - à quo solo licet. Illius est fideles Christo per salutare Baptismi lavacrum gignere, à peccatis absolvere, parvulis doctrinæ Christianæ panem indefessè frangere, miserabilium Personarum curam paternam gerere, in frigore, in astu, inter mille morborum ærumnas, & adversitates, tempore belli, & pestis etiam cum periculo vitæ amittendæ manifesto Sacra menta cuique concretorum administrare, moribundos viatico confortare, in extremis intungere, assistere usque ad mortem, mortuos denique in coemeteriis excipere. vide Schmalzg. ad tit. de Parochiis lib. 3. §. 2. Atque hoc imprimis trecentis annis teste Zypao lib. 3. de Parochiis consultatione 2. ac vix non ut ali volunt mille ducentis annis soli Episcopi & Parochi, Sacerdotes Seculares universaliter exclusis Religiosis omnino præstierunt, totamque rexerunt ecclesiam. Nec enim legitur primis septem aut 8. Seculis Monachos in Monachatu manentes assumptos fuisse ad Ecclesiarum Regimen, sed assumpti Monachi esse definebant, & à vita contemplativa solitaria vel Monachali

nachali ad clericalem & activam transire censebantur
van Espen in Supplm. J. E. U. p. 2 tit. 17. cap. 3. n. 21.

§. V.

Adeoque
 Parochia de
 se sunt be
 neficia Sa
 cularia, se
 cularibus
 conferenda.

Adeoque ex hoc solo, ceteris omissis beneficia omnia, maximè curata & Parochiales Ecclesias de & per se Seculares & esse & fore præsumendas facili negotio patet. Inconcussum stare hoc principium ait *Rot. in Argentina Parochialium 30. April. 1745. §. 3. & 1746. 10. Junii Cor. P. P. D. Millino.* Præterquam enim ex institutione divina Episcopus vel Parochus positus sit regere Ecclesiam Dei, & ob id in cunctis ad dictum regimen spectantibus ipsi sint præordinatores, rerumque omnium agendarum ad eos spectet authoritas: Atque sic assertivè & propriè Ecclesiae Parochiales ad Presbyteros seculares spectent: quis enim suis unquam militat stipendiis? Ulterius tamen ex sequentibus eas nullo modo ad mensas Abbatum vel Monasteria pertineri posse adhuc ex propria eorum inhabilitate deducemus.

§. VI.

At
 Monachi in
 orru suo
 Laici.

Monachos ex instituto suo de sorte & genere Laicorum esse, veteribus indubium erat. Monachi Laici, & rudes multi eorum ne legere quidem poterant, ait *Claudius Fleury Inst. Juris Eccles. p. 1. c. 21. de origine & progressu vita Monastica §. 7. Card. de Luca in Theatr. just. & verit. disc. 1. de Reg. laborabant ut Laici, cum populo ad publicum templum convolabant, offerebant in Ecclesiis more ceterorum Laicorum, poenitentiæ denique publicæ subjiciebantur æquè ac Laici, à qua*

quā immunes Clerici van Eſpen J. E. U. p. 3. c. I. n. 3.
 & 4. ſiquidem non ſatī decere judicavit Ecclesia vetus,
 ut, qui Sacris Altaribus ministrare conſueverant Cleri-
 ci, alſicerentur à populo præ foribus Eccleſiæ in terram
 proſtrati, quīque pro poenitentibus Laicis oraverant
 Presbyteri, poenitentes iþi Laicorum preces exposce-
 rent. Imò antiquior Cœnobiarum Lex erat, ne
 quis elatiore Spiritu ad gradus Sacrorum Ordinum af-
 ficeretur: Pachomius apud P. Daude S. J. de Majestate
Hierarchiæ Eccleſiaſtice à Cleri Regulariſ antiquiſſimo in-
ſtituto Cœnobitarum c. I. Sect. 2. n. 7. hoc axioma ferebat:
Cogitatio feraliſ ambiūs, ſi in mentes irrefperit Monacho-
rūm, ut vel primi cupiant eſſe, vel Clerici. Sunt tamen &
fuere Clericis potiūs, quām Laicorum conditioni ad-
ſcripti. P. Daude l. cit. n. 3. ibidem Cellotius, Isidorus,
 Dionyſius. Usque ad tempus Eulebii, Zofimi & Siri-
 cii ſimpliciter Monachos, & non Clericos fuiffe Eccle-
 ſiaſtica ubique reftatur historia: Hieronymus refert
 Monachos Scythiæ conveniſſe in unum, ut Sacerdotem
 ſibi invenirent, qui eis Miſſarum ſolennia celebraret.
 Joannes Andreas ait eſſe in Epift. de oper. & humil.
Monach. in tom. autem 2. operum iþiſus B. Hieronymi in
Epift. 60. que eſt Epiphanii ad Joannem Hieroſolymita-
nū ab eo latine redita, legitur Epiphanium ordinatissime
Presbyterum Monachis poſcenitibus, qui eis Sacramento con-
ficeret, erat autem Monasterium in Diæceſi Joannis. Ha-
Etenuſ Glosſa in Can. hinc eſt etiam 39. XVI. quæſt. I. qui
eſt Sancti Gregorii Pontificis.

S. VII.

A Saeculo 4. & 5. deinceps otium labori, laborem
 contemplationi confociabant, cœperuntque perfectio-
 rum affun-
 B ptis.

nes vitæ Monasticæ, & Clericalis simul conjungere Thomassin p. 3. l. 3. c. 16. n. 7. inde Abbates sæpè quidem sed non semper ordinati sunt ad Presbyteratum, admissi subin & alii, ne adventitios Sacrorum causâ petere necessum haberent. Fleury c. 25. & 27. l. cit. tempore Gregorii III. interim insuescebant Monachi functionibus Clericorum: in Dioecesi Moguntina Bonifacius Archi-Episcop. Mog. sub Pipino Rege, utpote Monasticis institutis ipse informatus, Monachis fundamenta jecisse videtur, ex quo progressa tandem res eò est, ut sub Rôbano Archi-Episcopo Moguntinum Concilium anno 847. Can. 14. decreverit: *nullus Monachorum Parochias Ecclesiastarum accipere presumat sine consensu Episcopi.* Infrequentia fuere eo aëvo ejusmodi exempla, rariores ad hue Ordinariorum consensus, postea modò multiplicato Monachorum numero, pluribus monasteriis exstructis ad Clericatum sæpè, etiam ad Parochias pro rei necessitate, & ad tempus admissi sunt. Bonifacius IV. S. Pontifex c. 25. XVI. q. 1.

§. VIII.

Ex instituto Salutem
tantum
propriam
curant.

Monachus licet ad Ordines Clericorum admissus ex eo, quod Clericus Secularis docendi & paucandi populum, sua & aliorum peccata vi instituti & Religionis suæ deflendi habet officium secundum Glossam & Canonem hinc est etiam 39. XVI. quest. 1. ibid. S. Hieronymus ad Riparium Presbyterum & ad Heliadorum, alia causa est Monachi, alia Clerici, & ad Rusticum: *sine Confilio Presbyterorum Monachis nihil agere licet.* Conf. Card. Petra ad Conf. I. Anastasi IV. ab initio n. 1. & seqq. Perfectio enim Sacerdotis Religiosi principaliter consistit in cura salutis propriæ, in observantia trium votorum substantia-

stantialium ab Ecclesia approbatorum. Ab initio ex instituto vel origine Religionis anteà Laici, successu temporis modò ad Clericatum assumpti subsidiariam accèpere curam, datum est posse ac pura licentia exercendi actus aliquos Pastorales. Clericos Sæculares non hos ut diximus stringit officium, munus & onus curandi animas: *S. Thom. in 2. 2. q. 188. a. 4. ad 2.* non autoritate propriâ, sed autoritate Superiorum & inferiorum, ad quos ex officio pertinet, & ita subvenire in tali ministerio Religionis est proprium. Clare hoc inuit Eugenius Papa *Can. 8. placuit XVI. q. 1. placuit, ut nullus Monachorum de Monasterio exire nefandissimo auferre præsumat: neque ad Ecclesiam Sæcularem transire: sit claustrum suo contentus, quia sicut pisces sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus, sedeat itaque Solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit: agnoscatur nomen suum: monos enim græcè, latine est unus: achos græcè, latine tristis sonat, inde dicitur Monachus, id est: unus tristis. Sedeat ergo tristis, & officio suo vacet: S. Hieronym. Epist. ad Rip. Presbyt. ait: tristis vel se vel mundum lugeat, & Domini parvus præstoletur adventum. Ea propter Monasteria dicuntur fuisse olim asyla peccatorum, quo convenerant penitentiæ causâ, Ecclesiastici ipsimet male viventes eò relegebantur, ut clarum ex Concilio Agathensi *Can. 50. Epaunensi, Tolentano &c* quam diversus itaque sit finis statûs Religiosi, & Ecclesiastici ex hoc uno patet: quod Superior Religionis ne quidem possit intuitu voti Religioso curam animarum nolenti demandare, nequit enim quidquam præcipere, nisi quod est juxta regulam Ordinis, & si quid præciperet, Monachus vi Religionis non tenetur obedire; nullibi autem regulæ Ordinum maximè antiquiorum continent præceptio-*

ceptiones de actibus pastoralibus, & operationibus curam animarum habentibus, talem eam ac tantam perfectionem obedientia Regularium strictè accepta non attingit : cogitare & procurare salutem propriam, Religiosorum finis utrū principalis ita unicus est, juxta Sanctum Basiliū, & Hieronym. apud van Espen J. E. U. p. I. tit. 24. c. I. n. 5., CC. Parisiense anno 829. Can. 46. Thomassin p. I. lib. 3. c. 43. in fine. alias nāmque fratres eorum Laici non essent veri ac propriè Religiosi.

§. IX.

Subinde in
Subsidiam
socati.

Ex delegatione tamen, ex motivo charitatis & pie-
tatis aliorum saluti intendere possunt : ea propter Ur-
ban. II. in CC. Nemausensi 1096. Monachorum tuitio-
nem & Patrocinium suscepit contrā invidiam & æmu-
lationem eorum, qui evulgabant rata & valida non esse
Sacramenta, quæ à Monachis administrarentur. Gu-
ram hanc dicimus subsidiariam, dum scilicet vocantur
ab Ecclesiasticis in auxilium ad eum verè modum, quo
Apostoli annuerunt sociis, qui erant in alia nave, ut ve-
nirent & adjuvarent eos *Lucæ* 5. c. v. 7. idem dicente S.
Bonaventura apud van Espen J. E. U. p. I. tit. 3. c. 7. alia
super additâ comparatione his terminis: nos (Monachi)
sumus, qui remantes manipulos segeum & spicas deciden-
tes post Messores (Clericos Seculares) & racemos se-
los in vinea colligere debemus: adeoque ne quid præter-
mittam Status Religiosus Ecclesiæ vel maximè utilis est,
& erat, utpote perfectior non solum statu communi
Christianorum Laicorum omnium, sed etiam illorum
Christianorum, qui in Seculo observantiam Consilio-
rum Evangelicorum vovent. Anno 1433. in CC. Basileen-
si Doctor Ordinis Dominicanī Kaltheilensis prolixo, &
medi-

medicato sermone demonstravit propositum Monasticum Apostolicis infistere vestigii, & Apostolicarum virtutum effigiem sempiternam Ecclesiae representare, non quidem ut Cardinales in Regimine Ecclesiae universalis, vel privatae ut Episcopi & Parochi, sed in Religiosae vita & penitentiis ac macerationibus deditissima professione; proin extra omnem prorsus controversiam quovis tempore fuit, posse a Summo Pontifice Episcopo vel Parocco Regulares etiam ad exercendam curam adhiberi, & adhibiti sunt ut P. Thomas Schmitz Ord. S. Bened. Abbatia S. Nicolai in Brauweiler Colon. 1753. tertio Calendas Martii in fine sui operis quod intitulavit: *Officium curæ animarum pro Clero Regulari assertum & vindicatum fusé prater necessitatem demonstare conatur.* Sed non nisi Presbyteros ut diximus in qualitate subsidiariorum, quo facto Regulares tantum dispensativè & per accidens, non ex natura religionis sunt Clerici, Ecclesiasticisque accedunt reductivè: Hic addo alteram propositionem, quam anno 1408. supra dictus Joannes Goret Franciscanus subscribere coactus est in Universitate Parisiensi: item *jus predicandi & confessandi competunt Prælatis, & Curatis principaliter, & essentia-liter, & mendicantibus de per accidens, ex privilegio &c.*

§. X.

Fatendum porrò pluries id evenisse, quod è Monasteriis Religiosi etiam ad beneficia curata ad Parochias-
In penuria Cleri & tem-
les Ecclesiæ evocati fuerint, maximè ante tempora Ca-
pore bellie.
roli Boromæi & Seminariorum erectionem Seculis no-
vissimè prateritis; Religionis quippe dissidium primi-
tius, postea Mars Suevicus devastatis Germania parti-
bus in summo præterea squalore jacentibus publicis li-

B 3

ter-

terarum scholis, Clericisque ac Parochis exulare jussis
summam annis subsequentibus invexit Presbyterorum.
Sæcularium penuriam, quæ deplorabilis penuria, & dis-
persio Ministeriorum Ecclesiæ ad eam necessitatem addu-
xit Germaniaæ Antistites, ut uni duntaxat plures com-
mendarent regendas Parochias, ac proptereà Mon-
achos, aliósque Regulares ab eorum Claustris in subsidium
tum evocarent ad obeundas Parochorum vices, tum
ob non minora & iis ipsis illata damna ad tempus plu-
res Parochias committere utile visum fuerit, ita plerūm-
que, ut non continuò ac perpetuò Monachi ad easdem
Ecclesiæ admissi fuerint, sed modò Regulares, modò
Seculares Parochialium administrationem susceperint.

§. XI.

Ex hoc va-
rii proveni-
re abusus,
propter
quos ad
Claustra
revocati
sunt.

Ex hoc varii provenire abusus, omissis antiquis
recentiores aliquos recensere juvat. Reverendissimus
Episcopus Basileensis 1714. in relatione statutis suæ Eccle-
siæ ad S. Sedem exposuit relevantia gravamina & intro-
lerabiles abusus irreptos ex eo, quod ob præteriorum
temporum calamitosorum injuriam, Sæculariumque Sa-
cerdotum penuriam &c. nonnulli exinde Superiores
Regulares ansam sumpserint, & quasi Possessionem &
juris præscriptionem Religiosos suos deputandi : Sacra
Congregatio CC. eidem ex post annuente & approban-
te Sanctissimo rescriptit: quo ad Regulares diverorum or-
dinum, responderunt Eminentissimi PP. si agatur de Ec-
clesiis quo ad temporalia tantum, in quibus Superiores Re-
gulares habent duntaxat jus præsentandi, tunc ipsos debere
præsentare perpetuum Rectorem Secularem ordinario Dic-
cesano.

Eisdem abusibus occurrentis Reverendissimus Epi-
scopus

scopus Herbipolensis & Bambergensis longam & di-
spendiosam litem sustinuit in S. Congregatione CC. con-
tra Monachos Sancti Benedicti prætendentes, quod vi-
gore præscriptionis jus acquisiverint Regulares præsen-
tandi, in eaque pluries disputatum: *An Abbas Mona-
sterii S. Michaelis extra mœnia Bambergæ Ord. S. Bene-
dicti teneatur præsentare Rectores sive Curatos ad Eccles.*
qui sunt Sæculares &c. ac tandem sub die 17. Septembr.
1722. resolutum fuit teneri D. Abbatem præsentare Re-
ctores Sæculares ab Episcopo instituendos. Denique re-
proposita causa in S. Congregatione die 16. Januaris
1723. sub dubio: *An sit standum vel recedendum à de-
cisis?* perstitum fuit in decisis. Huc referri possent aliæ
causæ: *Friſing.* juris deputandi curatos 24. Martii 1713.
coram Ansaldo., *Argentina* Parochialium 30. April 1745.
coram Millino., *Colonien.* Paroch. 7. Febr. 1746. co-
ram R. P. D. Bussio., *Herbipolen.* Parochialis Ecclesiæ &
primissariae Buchens. in S. Congregatione 1750. & 51.
in quibus una hæc omnium querela est, Monachos ad
euram vel Parochias semel illis temporibus vocatos
difficulter fore amovibiles; propter hæc

Utraque S. Congregatio Episcoporum & Regula-
rium CC Trid. Regulam posuit universalem, quod ad-
ministratio Parochiæ, quæ fuit Regularibus concessa
tempore belli, vel durante penuria Sacerdotum Sæcula-
rium, nullum jus tribuere potuerit ad effectum ulterius
se confovendi in possessione: quia statim ac cessat illa
illa causa temporanea & urgens necessitas, utique Regu-
lares ad voluntatem ordinarii tenentur d. administra-
tionem dimittere *Garc. de benef. p. 7. c. 10. n. 32. Tho-
massin. de benef. p. 1. lib. 3. c. 22. n. 9. 1. Petra ad Conf.*
J. Anastasiu. IV, n. 28. com. 2. pag. 8. ibid. S. Congregat-

tio denegavit administrationem etiam ad tempus, hinc apud eundem loc. cit. n. 40. Hugo Card. non invenientes JESum in Seculo, debent redire in Jerusalem, id est ad contemplationem, & ibi eum requirere.

§. XII.

Omnino in-
habiles ad
beneficia
Curata. &c.

Fundamentum hujus resolutionis per S. Congregationem positae radicatur in ipsa Monachorum ad Ecclesias Parochiales notoria inhabilitate. Sic Can. nemo XVI. q. 1. inquit re & nomine Sanctissimus Pontifex Gregorius: *nemo potest & Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in monachica regula ordinatè persistere Cap. super eo. X. de Regul. nec in Ecclesiis Sæcularibus debent assimi, ne contra votum, quod Deo fecerunt, venire probentur.* CC. Rotomagense 1074. Can. 5. CC. Vintoniense in Anglia 1076. Concil. Pictaviense 1078. Can. 5. CC. Late- ranse Ium anno 1122.

Dissentient post Abb. Less. Tambur. Bordon & Murga, tres Monachi Salisburgentes P Engel, König & Schmier: alii dissententes Gonz, Zypæus, Wiefner &c. Religiosos quidem omnes incapaces beneficiorum Sæcularium nobis concedunt, sed Canonicos Regulates solum à regula excipiunt, hósque sine dispensatione Apostolica Ecclesiis Parochialibus præfici posse inaniter praetendunt ex CC. Trid. I. cit. & cap. quod Dei timorem 5. de Statu Monach. vel denique ex consuetudine, quod Ordinarii Religiosos toties jam ad beneficia secularia & curata admiserint, verū hæc singulatim infrā.

Audiamus tantum, quæ in specie Ursaya tom. VI. discept. XLI. n. 91. his respondet: poterant omitti piae itæ meditationes, quod Monachis sit permisum de jure exercitium curæ animalium: nos enim omissa cetera illa Doctorum,

Etorum, qui de facili in oppositum allegari possunt. vi-
de Schmalzg. lib 3. tit. V. §. 2. n. 25. & Vinc. Petra tom.
2. Comment. ad Conſt. I. Anastas. IV. Sect. I. à n. II. 26.
& 31. qui allegat plurimos, & testatur de communi.
omisâ, inquam, catervâ illâ Doctorum, sequentia solida
fundamenta opponimus contrariis speculationibus: Pri-
mum innixum textui Literali in cap. I. de Capellis Mo-
nachorum ubi latè Fagn. signanter n. 7. ibid. Monachi vi-
ventes in congregatione ex eorum instituto prohibentur de
jure curam animarum Personarum Secularium exercere,
textus est clarus hic. Secundum verò desumptum ex
Oraculo Pauli IV, qui 1558 in bulla quæ incipit: poſt
quam divina bonitas, nominatim prohibet Regulares ad
beneficia ſecularia aliter quam ex papali dispensatione
promoveri. 3tum ex Oraculo Gregorii XIII. de cuius
mandate in durioribus terminis Canoniconum Regula-
rium majorem ſimilitudinem habentium cum Clero Se-
culari teste eodem Fagn. in Cap. quod Dei timorem sub n.
16. de Stat. Monach. generaliter fuit quæſitum: An Ca-
nonici Regulares de licentia ſui generalis poſſint auſſumere
curam animarum, tam ad tempus, quam perpetuò, die 8.
Julii 1581. Sanctissimus Dominus noluit licere iſtis Re-
gularibus. 4tum idem expreſſe declaravit S. Congre-
gatio Epifcoporum & Regularium ex mandato Clementis X. die 17. Martii 1671. quod decretum per modum
Legis generaliter promulgatum perpetuò obſervandum
dixit: Rota apud Petra cit. n. 40. Ad hæc prorsus co-
hæret anteā jam recepta regula inter beneficialistas &
Canonistas ex CC. Trid. l. c. & Sess. 25. c. 21. de Regul.
& Stylus Curia Rōmanæ: teste Petral. cit. vi cuius be-
neſicia ſecularia ſecularibus, & Regularia Regulari-
bus conſerenda ſunt, ita ut aliās collatio, niſi duplex gra-

C

ta

tia dispensativa & provisiva simul concurrant in taliter proviso, sit irrita, & beneficium per alium impetrari possit: *juxta Reg. Concil. 43. de commendis, Lotter de re benef. lib. 3. q. 8. n. 95.* Hieronymus de Cævallos Hispanus in speculo aureo opinionum communium contra eomunes refert q. 281. ita judicatum fuisse per Dominos Auditores Domini Archi-Episcopi Toleti in quadam causa Capellaniae collativæ oppidi del Alamo, quia non obstante, quod quidam Monachus Professus Ordinis Sancti Augustini Consanguineus propinquior Fundatoris & nominatus à Patronis, collatio fuit facta Clerico consanguineo remotiori.

Canonici verò Regulares cùm hisce minime acquiscerent, oblatâ occasione causæ cuiusdam Placentinæ in Congregatione Concilii propositæ 1693. in qua agebatur de quodam Canonico Regulari Lateranensi præsentato ad Parochiale Ecclesiam Sæcularem, ipsis pertinentibus Rescriptum à S. M. Innocentio XII. confirmatum emanavit, ut omnia hac super re décreta unirentur, & auditis Procuratoribus Generalibus certa & universalis lex constitueretur. 1713 Clemens XI. Instante Procuratore Generali Canonicorum Lateranenium Congregationi Concilii Trid. commissit causæ discussionem: quæ utraque Innocentii & Clementis variis ex causis dilata fuit.

Demum, ut diu exoptaverat Gonzalez ad cit. cap. quod Dei timorem. Benedictus XIV. Constitutione, quæ incipit: quod inscrutabili. 1745. edita super capacitate Canonicorum Regularium Lateranenium & Sanctissimi Salvatoris ad optimenda beneficia Ecclesiastica Sæcularia cum cura & sine cura, atque Pensiones Ecclesiasticas ob abusus in Diœcesi Anconitona & Bononiensi reper-

repertos generalem legem & decisionem edere volens supra dictam controversiam ad se avocavit, causaque privatissimis studiis expensâ, adhibitis in Consilium Cardinalibus, Prælatis, Theologis, & Canonistis, exquisitis, datis, ac perpensis liberis eorundem suffragiis d. Summ. Pontifex Benedictus XIV. eorum Consilium & Sententiam sequens, atque etiam motu proprio & certâ scientiâ, atque auctoritate Apostolicâ hâc in perpetuum valitûrâ constitutione statuit, decrevit, & declaravit: Canonicos Regulares absque indulto Apostolico, cujuscunque beneficij Ecclesiastici Sæcularis, sive cum sive finè cura, & cujuscunque etiam beneficij Simplicis --- verè incapaces esse & censi debere. Eisdémque nec jus commune, nec Trid. Synodi decreta, neque professionem, aut eorum peculiare institutum, nec denique ullam contrariam consuetudinem, usum, possessionem seu quasi, aliisque omnino titulum pro hujusmodi prætensâ capacitate, absque speciali Sedis Apostolicæ indulto ullatenus suffragari.

Videant nunc Regulares, quâm irrito hucusque Conatu contrarium asseruerint: Videat nunc præcunctis Rupertus Ordin. S. Bened. Abbas Tuitiensis, quâm inaniter in opusculo quoq; intitulatur: *Alteratio Monachi & Clerici*. distinguat Monachum simplicem à Monacho Clerico dum agit de prædicationis officio, ibi quod concedit Monacho denegatum esse, Monacho Clerico permittit, & quod plus est lepidè adhuc expostulat: *Tu, ait Clericus tantum, ego & Monachus & Clericus sum: Tu autem ex eo quod Clericus es, autoritatem prædicandi tibi adscribis --- mihi ergo hoc ipsum prædicandi jus derahere non potes absque injuria.* Omnino si ne injuria & auctoritate Pontificiâ Monachi simplices

C 2

et que

æquè ac Monachi Clerici ad curam animarum inhabiles sunt. Proinde (utor verbis Bened. XIV. d. constit.) non amplius permittendum aut ulla modo ferendum est, ut aliquis ex ipsis sola interveniente ejusdem Superioris Regularis sive Abbatis generalis licentiâ, consensu, aut prætenâ auctoritate ad animarum curam in Ecclesiis Secularium assumendam, & exercendam vel ad alia --- quomodocunque officia aut beneficia -- obtinenda è religiosis claustris exeat, discedat & extra ea moretur: sed necessarium est, & erit speciale Apostolicæ Sedis Indultum. Conf. S. Paulus ad Hebr. 5. c. v. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.

Videat denique & P. Thomas Schmitz ejusdem Ord. S. Bened., qui nuper adhuc Coloniae Agrippinæ in aëtu inaugurali pro Licentia Theol. tertio Calendas Martii Anno currente 1753. officium curæ animarum pro Clero Regulari assertum & vindicatum putabat, sed serò nimis post definitionem S. Sedis Apostolicae 8. annis anteriorem & contrariam. Durioribus terminis insurgit hic jam ante aggressum vietus Heros in dissertationem inauguralem 10. Juli 1752. proculdubio Augustæ Trevorum D. Philippi & Reiss evulgatam contra Regulares. videat inquam P. Schmitz, an ille Non Nemo (sic eum nominat & sequentia formalia adhibet) abreptus Zelo invidiæ & amaritudinis ad scopum suum varia & injuriosè congesserit, & in odium Regularium infideliter truncatas Sanctorum Patrum authoritates in sensum ab eis alienum detorserit, ut evincat opinione sua, quod in curatis beneficiis exponi non conveniat Regulares, & exposti ad nutum Episcoporum sint amovibiles. Cùm tamen primum hoc non exponeados esse Regulares in beneficiis curatis &c. Anno 1745. a SS mo.
Bene-

Benedicto XIV. constit. cit. in fortioribus terminis etiam contra Canonicos Regulares definitum esse scire potuisset: posterius verò Regulares expositos ad Episcoporum voluntatem amovibiles esse *idem anno 1744.* per eundem Sanctissimum Benedict. XIV. constit. quæ incipit: firmandis edit. super jurisdictione Episcoporum quoad Ecclesiastis Parochiales Regularium &c. decifum his lego formalibus quâ de re suprad. Congregatio Concilii decrevit hujusmodi Parochos iam ab Episcopo, quam à Superiori Regulari, quo jure, non requisito alterius consensu ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas judicij sui aperire, multoque minus probare & verificare debere. Id quod à Nobis in omnibus approbatur & confirmatur.

CAPUT II.

STABILITA ECCLESiarum PAROCHIALium SÆCULARITATE EX UNA, MONACHORUM AD EASDEM VI INSTITUTI ET ORIGINARIA INHABILITATE EX ALTERA PARTIBUS, AD UNIONEM IPSAM DEVENIMUS VELUT UNICUM DEFICIENTE EXPRESSA FUNDATIONIS LEGE EORUNDEM DIFFUGIUM, QUA PAROCHIAS DE SE LICET SÆCULARES REGULARES FACTAS ESSE VOLUNT.

S. I.

Unionis nomen generale est & continet sub se suppressionem, & extinctionem, licet extin^{io} sup- pressio, & dismembratio valde differant ab unionibus. Pyrrh. Corrad. in prax. benef. lib. 2. c. 8. n. 6. & 7. per suppressionem enim intelligitur totalis beneficii extin-

C 3

ctio:

Atio : per dismemberationem diminutio beneficij ita, ut sal-
vâ unius unitate pars redditum ab eo afferatur & appli-
cetur alteri, remanente interim titulo & beneficio penes
suum Rectorem Pichler lib. 3. t. V. §. 3. n. 21. & 22. at
per unionem in genere intelligitur beneficiorum sive
Ecclesiarum ab Episcopo vel alio legitimo Superiore
facta annexio, communis Canonistarum cum Rebuff. in
praxi p. 1. t. de unionibus. opponitur Unio divisioni seu
sectioni beneficij, quando ex uno fiunt duo vel plura,
divisisque fructibus duo in posterum beneficiati insti-
tuuntur. Jam variae cum sint Unionis Species, unam
tantum omissis aliis, quâ Regulares beneficia sacerdotalia
facta volunt Regularia, inquirimus.

§. II.

Unio ex-
tinguiva be-
neficij sa-
cerdotalis.

Ad hoc autem ut Parochiaz Sacerdotalia beneficia e-
vadant Regularia, non sufficit I. Unio personalis : hæc
enim est palliata potius contra Conc. Trid. dispensatio
vel beneficiorum pluralitas, quam Unio van Espen J.
E. U. p. 2. tit. 29. c. 1. n. 4. realis sola proprio unionis
nomine venit & censetur talis si non ad tempus vitæ aut
in favorem personæ ut personalis, sed Ecclesiæ facta vel
ad perpetuam rei memoriam, vel ad beneplacitum Se-
dis Apostolicæ c. si gratiore 5. de Rescriptis in 6. nec

II. Unio æquè principalis: In hac enim utrumque
beneficium in suo statu integro permanet, tantum unus
idemque per unionem futurus est Rector utriusque, ut
in c. novit. I. ne sed vac. Rebuff. l. c. n. 15. Corrad. l. 1.
cap. 13. n. 26. 2dò. Ecclesia qualibet sua jura, privi-
legia & qualitates, utriusque redditus distinctos retinet:
3tò. Beneficium recte dicitur vacare, conferri, resigna-
ri vel permutari. Atò. Si diversi Collatores, neuter
amic-

amittit jus conferendi : & in impetratio de utroque
mentio fieri debet , quod secus est in unione de qua fer-
monem instituimus van Esgen l.c.n. 12. & 13. Schmalzg.
lib. 3. tit. V. n. 157. nec

III. Unio conjunctiva vel simul conservativa, quæ
est, si duo beneficia in unum coalescant velut corpus
tertium ac distinctum. *Rebuff.* l. c. n. 11. utriusque ju-
ra uni data alteri communicantur, & si contraria sint,
meliora ac favorabiliora conservantur, incompossibilia
& minus æstimabiliora amittuntur. Insuper hic unio-
nis modus in frequenti usu non est *Pirbing* l. c. n. 201.
Nec

IV. Unio quoad temporalia tantum, quam mini-
mam sive infimam speciei vocant. Per hanc enim Mo-
nasterio vel Capitulo tantum acquiruntur reditus tem-
porales relictâ portione congruâ pro Presbytero: nihil
fermè juris sive circa personam Presbyteri, qui positus
est in Parochia, sive circa curam populi : Unio subin
nequidem jus Patronatûs sibi coniunctum habet *Pirbing*.
l. c. §. IV. n. 216. Sed

Unio subiectiva vel accessoria propriissimè unio
est: per hanc enim Ecclesia vel beneficium uni subje-
ctum subjicitur alteri tanquam Superiori, eidemque ut
accessorij principali perpetuò unitur: beneficium sic
unitum assumit: immo naturam privilegia & qualitates
principalis, cui adharet: per hanc seculare Benef. fit re-
gulare & vicissim, sic Ecclesiâ Parochiali accessoriè uni-
tâ Canonicatui vel Decanatu in recipiente illam non
requiritur 25. ætatis annus, sed sufficit ætas, quæ ad Ca-
nonicatum vel Decan. necessaria, modò administrator e-
jus ætatem habeat, quia beneficia curata sic unita trans-
eunt in naturam simplicium S. Congreg. Conc. Trid.
teste

teſte Leuren. apud Schmalzg. & Pirbing. l. c. n. 202.
 2dō in impetratiōne beneficii ſolus principalis mentio
 fieri debet van Espen l.c. n. 11. in Unito jus patronatūs
 amifum, mortuo Rectori vel remoto non vacat be
 neficiū, atq[ue] in ſequelam non poſt amplius con
 ferri resignari aut permutari: quia primō titulus, qui
 per unionem extinc̄tus eſt, non eſt conſeribilis, impetrati
 bilis, aut in alium transferibilis. 2dō dignitas, ſive lo
 cus pius, cui unio ſubjectivē facta eſt, nunquam mo
 ritur, quod ſinē dubio impedit vacationem; 3tiō, quia
 beneficium unitum efficitur membrum in quo vacatio
 non eſt poſſibilis ex plenē deductis per Lotter de re be
 nef. lib. 1. q. 28. n. 104. Decisiones Retales apud Antonium
 Martiam de Nigris in Romana Curia advocateum tract. de
 vocatione beneficiorum Romæ 1741. edit. cap. 16. lib. 2. n. 3.
 3tiō Decedente Vicario in beneficio accessoriē unito ce
 conomus deputandus non eſt ab Episcopo pro illo tem
 pore, quo eidem praefentatur Sacerdos approbandus
 ad animarum curam: Sed hoc tantū procedit ex Conc.
Trid. Seſſ. 24. de reform. 18. Si Ecclesia Parochialis va
 catio per obitum vel resignationem, ſive aliter quomodo
 cunque contigerit, aut ſi opus fuerit idoneum in ea Vi
 carium constituere: quo referendum cap. cum vobis de of
 fice. Ord. cūm ergo in ſubjectivē unitis nulla vacatio,
 nullus Rector novus ponendus ſit, Rector verus ſive Ab
 bas omnia, quæ poſiunt allii in ſua Parochia, vel per ſe,
 vel per alium exercere poteſt.

Non obſtar Rota in Pifana Oeconomatiū Cor. Emer.
 Jun. Dec. 1279. & 1296. neque Résolutio S. Congreg.
 Conc. Trid. quam refert Aldam, in Comp. Canonici. Reſu
 lut. lib. 2. tit. 5. n. 3. nam d. Rota ſupponit unionem in
 caſu non fuſſe plenē & concludenter probatam. Sacræ
 Con-

Congregationis Resolutio, quam refert Aldan. in d. compend., authoritatem nullam habet teste *Ursaya tom. 2. discept. 17. n. 37. ex Capon, ibid. cit.* compendiosus ille tractatus Canonicarum Resolutionum S. Congregacionis nunquam typis datus nec ullam meretur fidem: ut pariter apocryphos loc. cit. dicit Sellium Raum & Racionum, quos sæpè citat. Barbos. & Riccius.

§. III.

Unionem beneficiorum subiectivam ut omnem ita hanc vel maximè odiosam esse unanimis Canonistarum sententia est, & tradit van Epsen J. E. U. p. 2. tit. 29. c. 2. n. 1. juri communi eam repugnare ait *Garc. p. 12. c. 2. n. 233.* semper & perpetuò gravare *Antonius Faber in Cod. lib. 1. tit. 2. definit. 49.* odiosa est, cum per eam minuitur numerus Ministrorum; juri communi repugnat quia per Canones quælibet Ecclesia suum proprium habere debet Rectorem; semper denique gravat velut alienationis species, si etiam temporalis tantum unio fuerit. Nihil dicendo de Unione tertiae speciei, vel summâ, quâ Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem populumque exemptum affectant, hæc enim nimium quantum & juri repugnat ac odiosa prorsùs exorbitat. Proinde cum à jure communi recedat, unio qualisque sit, minima etiam clare, subiectiva vero patentius probari, seu literaliter aut necessariò ex Bulla Unionis vel aliundè deduci debet: aliter semper urget dispositio juris pro exclusione d. unionis. *Anton. Maria de Nigris d. tract. Romæ ed. 1741. lib. 2. c. 16. n. 18.*

§. IV.

In dubio unionem minimam in temporalibus tan-

Unio in dnu.
bio, ac olim
ordinarie
erat tempo-
ralis tan-
tum.

D

cel-

-

In dubio unionem minimam in temporalibus tan-

tum, non vero subiectivam intelligimus. Eusebius Ver-

cellensis, qui Clerum suum vix non omnem ex Monachis constituerat, eos ad tempus tantum & seculariter plerumque Parochiis præfecisse non temere creditur: in Archi-Dioecesi Mogunt. tempore Conc. sub Rabano an. 888 aliquoties Monachi, cùm innumeræ diutinis Normannorum populationibus vastata & incensa essent Archi-Dioecesis Ecclesiae, expositi sunt eâ certe cautione, ut Archi-Episcopo administrationis suæ in omnibus rationem redderent: naescientibus Cenobiis non tam cura animarum, sed redditus parochiales potissimum indulti sunt, usque dum hoc velut infantia laeti ira convalescere & roborearentur, ut jam laeti non indigeant: plura hujus exempla de decimis refert *Thomassin p. 3. lib. I. c. 9. n. 1. & 2. ex Baron.* Planum hoc in acerbissima illa rerum omnium perturbatione, cùm labefactata corruerat Caroli Magni progenies: tum enim involatae sunt à Laicis res pleræque Ecclesiæ, & Ecclesiæ ipsa maximè Parochiales; ac cùm insolentissimas has Ecclesiæ, honorumque Ecclesiasticorum per Laicas invasiones Victor II. & Gregor. VII. suis in Conc. execrari cœpissent: cùm fulmina Ecclesiæ undique & excommunicationes perstrepserent, his consternati sunt Nobiles, & omnes, qui boni adhuc animi, ædificarunt bonis licet non suis Cenobia longè plurima: ad tam certum salutis suæ discrimen propulsandum, & ad sacras denique manubias manibus suis excutiendas restitutionum magis, quam largitatum suarum monumenta Clericis & Monachis promiscue relinquérunt: alii Sacrilegii illi deprædatores partim Consensu Episcopi, partim ejusdem dissensu Monasteria Christi patrimonio locupletarunt. In tam perturbatâ causâ obstinatae Laicorum voluntati multum tribuendum censuere Episcopi, ac necessitati
tan-

tandem acquievere, ut Monachis potius cederent res Ecclesiae, quam diutius à Laicis profanarentur; aliás pro viribus restiterunt. In Conc. Rotomagensi 1072. Can. 13. emuntur & venduntur Curae Pastorales scil. Ecclesiæ Parochiales tam à Laicis, quam à Clericis insuper etiam à Monachis, quod ne amplius fiat interdictum est. in eodem 1074 Can. 5. vetuerunt, ne Parochiæ Monachis donarentur item Conc. Vintoniensi. 1076 In Roman. 1078. & Pictaviensi: ne Monachi sine Consensu Episcopi Sacra menta administrent. Laudat hoc Ivo Carnutensis apud Thomassin p. 3. lib. 1. c. 10. qui jam vehementius & aculeatus non nihil invehitur in hunc Laicorum, & Monachorum abusum verbis S. Bernardi: quā audacia O Monachi, præsumitis seu vinum de vinea, quam non plantastis, seu lac de grege, quem non pascitis? &c. quando nimis sine consensu Episcopi totâ temporalium Ecclesiæ bonorum copiâ & suavitate fruuntur Monachi atque oblectantur, rejectâ totâ in Clericos Regiminis animarum sollicitudine & desfatigatione. Alibi verò eidem usui ultrò assentitur, si Epicoporum voluntate ac salvis antiquis Parochorum redditibus sive portione congrâ suscep perint: potest enim Ecclesia omne, quod habet cum omnibus pauperibus habere commune, quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis non in angaria bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem Christum,

Eâ tamen universaliter lege, ut Monachi non nisi temporalibus ad summum gaudеant proventibus, Presbyterum autem constituent, qui animarum curam gerat & Episcopo rationes exhibeat: quod Julivensem Conc. 1080 Can. 12 innovavit, si Monachis donatur Ecclesia, jure omni ut ante suo gaudet Parochus: fecit-

D 2

que

que eidem potestatem, ut cum Monachis degat, alatürque, vel si nolit cum Monachis diversari, ab Abbatे sufficientem accipiat pensionem: his patet non illum viguisse tum in Ecclesiis usum, ut Monachi Parochias ut iuras regerent, sed constantissimè antiquam Ecclesiæ disciplinam Episcopi: (qui ejusdem negotiis potenter & viriliter adstitere, ne Monachi Parochialium gubernaculis admoverentur:) eo ayo retinuerunt, licet Ecclesiastica invaserant Laici, eadémque Monachis potius nescio, quo Cleri fastidio restituere velle inceperint.

Unionem planè temporalem ulteriùs comprobat. Imò illius a vi specialis in cura animarum Cleri utriusque dissonantia de qua *cap. I.* diximus: 2dò Monachorum libertas Episcopalis jurisdictionis impatiens, quámque Apostolicis curabant muniri privilegiis: ea propter Monachis Episcopi Parochias à Laicis si dari, non regere passi: sed Abbas Episcopo, ut in omni unione temporali Presbyterum Sæcularem, qui regeret Ecclesiam, Episcopóque prorsùs obnoxius esset, præsentare tenebatur.

§. V.

Revocationes Unionum per Regulam Cancell., Conc. Confess. & Trident.

Monachi his minimè contenti, ut fieri assolet, postea ad Unionem subjectivam progressi sunt, obtentis desuper variis & Episcoporum & S. Pontificum Unionum Diplomatibus, queis omnino liberam haberent vel Sæculares, vel Regulares exponendi facultatem: nec levem ansam dedere perturbatissima illa subsequentium temporum Ecclesiæ Schismata, in quibus plures uno, eodémque tempore pro S. Pontificibus habiti ad suam quisque partem trahere nitebantur fideles, ac præserum viros Ecclesiasticos Monasteriis & Ecclesiæ Præpositos

fitos nimium prodigâ & immensâ privilegiorum & gratarum effusione: ideoque factum, ut benè multi per opportunâ hâc occasione ad Unionem Subjectivam ute-
rentur.

Verùm Ecclesia universalis uniones uti approba-
vit nunquam, sed potius toleravit, ita aliis subsecutis
Ecclesiasticis & Pontificiis sanctionibus privilegia hæc
& uniones protrivit multoties, & antiquavit: illas nám-
que abrogavit *Regula 13. Cancellariae*, quâ revocantur
quæcunque Uniones Ecclesiarum & beneficiorum à
prædecessoribus Pontificibus factæ, nec iis viventibus
ad effectum productæ, ut *Garc. de benef. p. 12. cap. 2. n.*
284 & 245., *Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 7.*
n. 13., *Rota in Valentina Vicariæ 12. Febr. 1734. §. 25.*
Cor. Eminentissimo Crescentio ibi: Rursus cùm Regula 13
Cancellarie revocet quascunque uniones, suppressiones, at-
que extinciones beneficiorum, quæ in Vita Pontificis con-
cidentis effectum soritate non fuerant, dubitari non poterat,
qui Indultum Gregorianum, quod Vicarias perpetuas red-
dens amoviles ad nutum illarum titulum extinguebat in pre-
judicium Ordinarii Collatoris, & Datariæ Apostolice, com-
prehensum fuerit sub Censura ejusdem Regule revocatorie
à Pontifice Successore de more publicatae. Regula hæc
Cancellariae authorem suum agnoscit Bonifacium IX. in
Constitutione ab ipso edita anno 1403. & deinde à Suc-
cedentibus quibuscumque Summis Pontificibus renova-
ri solita, ut probant *Rigant. ad Reg. 13. Cancell. n. primo*
& seq., Rota coram Cerro dec. 581. n. primo. Cor. Eme-
rix dec. 320 n. I. & 6.

Pariter telo suo confudit gratias, & privilegia ex-
ponendi Regulares, *Celebre Conc. Constantiensis Decretum*
1414. sub Martino V. Summo Pontifice, quo sublatæ sunt,

factaque irritæ omnes effectum suum non dum consequæ uniones, incorporationes à prædecessoribus ab obitu Gregorii XI. concessæ: in quas exitiali illo schismate perdurante ad caprandam populorum obedientiam, & gratiam plures Pontificatum sibi uno, eodemque tempore usurpantes nimirum sese effuderant, ut Concil. Constantiense Sess. 45. tit. de Union. & Garc. de Benef. part. 12. c. 2. n. 284 & 85., 381. Indiscriminatim vero obducta sunt omnia per Conc. Constant. sive à veris sive à vero se jactantibus Pontificibus indulta fuerant: exceptis solum iis, quæ in ipsa fundatione, vel contemplatione novæ fundationis concessa, aut super quibus præsentibus, & auditis, quorum intererat, autoritate competente ordinatum fuerat, sive quibus ordinarii consenserant. Thomassin p. I. lib. 3. c. 39. n. IV.

Proindè Uniones, quæ sic non erant justificatae, aut effectum non sortita, aut longiori etiam annorum decursu omni semper effectu caruerunt, sunt omnino ac si nunquam fuissent: Rot. in Gerunden Parochialis sive Vicarie de Vilobi 6. Jun. 1698. Cor. R. P. D. Ansaldo tom. I. dec. 47. n. 7., Cor. Falcon. tit. de Union. dec. I. n. 13. & in Valentina Vicarie cit. Cor. Crescentio §. 23. Certum autem exploratiæ juris est, gratiam Apostolicam ad partis instantiam impetratam per non usum non solum centum & ultra, sed 40 etiam annorum inefficacem atque inexquibilem remanere. Ineffectuatio manifestè palpatur, si in Scriptura simul contineatur unio aliarum Parochiarum, & tamen respectu unius, quam alterius nulla unio in effectum deducta sit. nam sicut particularis saltem effectuatio præ se ferre valer urgente presumptionem effectuationis in reliquis ut in Barchionen. beneficio 14. April. 1698. §. parumque officiebat Cor. Ansaldo: ita præcognitâ

cognitā ineffectuatione circa duas vel unam ex tribus partibus ejusdem scripturæ validissima insurgit præsumptio ineffectuationis in totum, ad ea, quæ pondēravit Rot. Cor. Ansaldo in Gerunden. cit. n. 8.

Prorsū denique Unionum privilegia qualiacunque abrogavit Trid. Sess. 7. c. 7. de Reform. dando amplissimam facultatem Episcopis deputandi Vicarios etiam perpetuos in quibuscunque Ecclesiis Parochialibus, quæ Monasteriis seu Collegiis perpetuò unita & annexa reperiuntur, idque appellationibus, privilegiis; exemptionibus quibuscunque in præmissis minime Suffraganib; ut ex Conc. Trid. expendit Rot. Cor. Ansaldo dec. 614. n. 19. & 20.

§. VI.

Incooperant enim Monasteria refrigescente paupertatis amore beneficia, sive proventus Ecclesiarum cum Clericis altari servientibus, atque in vinea Domini laborantibus non tantum partiri, sed integros in suos usus deglutiire studuerunt van Espen tract. de Jure Paroch. c. 1. §. ult. atque ut pleniū fructus suos facerent omnes, neglexerunt ministros necessarios, aut certè mercenarios quosque, dummodo viliori stipendio & honorario contenti, quæsierunt, utque eos sibi amplius obstrictos haberent, denique manuales sive ad nutum amovibiles Vicarios assignare placuit. Hos abusus resert Concil. Lateranense sub Innoc. III. relatum in cap. 30. X. de Præbendis. Alexander III. cap. 8. ibid., Nationis Germanicæ Norimberg. Conventus 1522. ad Adrianum VI., Maximilianus Imperator ad Julium II., Carolus IX. Francorum Rex per Conc. Trid. corrigendos postulavit.

Proin Decreto Conc. Trid. cit. Monachi tenentur

Vi-

*Per Conc.
Trid. Vicar
rii perpetuū
confituti
sunt etiam
in Parochiis
subjectivē
unitis.*

Vicarium perpetuum ad Parochias Monasteriis licet unitas praesentare, nisi Ipsi Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur: melius enim per Vicarium perpetuum consultitur curae animarum. Cum ex adverso Vicarii ad nutum amovibiles instar mercenariorum sint charitatis expertes, instabiles, gregi parvum chari, parvum venerandi, ideoque parvum utiles Thomassin p. 1. lib. 2. c. 27. n. 11. Card. de Luca de Paroch. disc. 11. n. 3., disc. 17. n. 3.

Regula ergo est, ut Vicarii sint perpetui; neque ab Ordinariis, si ita practicè urgeant, ratio exigi potest: quia regulam juris & Conc. pro se habent Zypæus lib. 3. de Parochiis consult. V. contra Barb. & alios, qui in Conc. Trid. Sess. 7. c. 7. n. 31. Thesin hanc Conc. invertente videntur. Nulla penitus distinctione sancta inter Unionem vel subjectivam, vel temporalem: ut probant Tamburin. de jur. Abb. tom. 3. disput. 9. q. 18., Barb. l. cit. n. 15. ubi: quod servanda sit dispositio Concilii: etiamsi in literis unionis expressa sit clausula, ut possit deserviri per Vicarios amovibiles: & benè quoque observat Rot. coram Dunoz. jun. decis. 368. n. 2. & 3., Cor. Falconer de Union. dec. 3. n. 9 & 10. & cor. Ansaldo dec. 614. n. 19 & 20. ibi - - hec privilegia præcisivè ab Ordinibus mendicantibus, in proposito hujusmodi unionum, quoad amovibilitatem & Regularitatem extiterunt radicibus avulsa, atque sublata per dispositionem S. Conc. Trid. Omnipotenter hoc, Vicarios ad Parochias subjectivè unitas perpetuos expónendos esse, suppositum fuit in Celebri Constit. 47. S. Pii V. edita super Vicariis perpetuis. in Berthiana Vicariae 22. April. 1624. apud Schmalzg. conf. 72. tom. 2. n. 12. Vicaria Ecclesiæ Parochialis de Benigna cum aliis adhuc quatuor, unita licet mensæ capitulari

Iari Berthulensi, postea de amovibili effecta est perpetua ab Ordinario, at Rota tamen ex Constit. Pii V. Vicarios perpetuos ad nominationem eorum, quorum Ecclesiae Unio facta deputandos mandavit: Non enim alteratur status ut docet *Turricell. de Unionibus c. 4. n. 59.* Nec qualitas Vicarie perpetuae contrariatur unioni subjectivae, ut advertit Vitalin. in *Clement. unic. n. 38 & 84.* de excess. prael. & Rotæ decisiones variae in *Gerunden Unionis 2. Julii 1725. §. fin. Cor. R. P. D. Cerro* in terminis planè decisum lego *Cor. R. P. D. Roiault de Gamaches 16. Junii 1721. in Aurien Parochialis de Rozamonde. §. nihilque turbat: ibi -- nihil turbat, quod Episcopus in unione dixerit: sit unus perpetuus Monachus, seu Capellanus constituendo objectionem in illa perpetuitate relata ad Vicarium, quia Unionis plenariae & subjectivæ nihil resert.* quod Vicarius sit perpetuus vel amovibilis, dum etiam Vicarius perpetuus datur in Unione plenaria juxta dispositiōnem Conc. Trid. Rota in *Frisingen. juris deputandi Cura- tos 22. Junii 1716. §. verum Cor. R. P. D. Cerro;* vide *Pirb. lib. 3. tit. 5. n. 218.*

§. VII.

Verum hoc ipsum est, in quo mirum quantum se torqueant Monachi, vim Regulæ per d. Conc. Trid. posse adverentes: duo sunt, quæ in unione subjectiva necessariò conciliari debent: Imò Facultas exponendi Regularem adnutum amovibilem, sive amovibilitas & regularitas beneficiarii. 2dò Perpetuitas ejusdem Conc. Trid. decreto introducta; de 2dò hoc in §. preced. egimus; primum autem est Theoricum admissum ab omnibus, quod ubi Unio Parochialium non est simplex quoad mera temporalia, sed plenaria quoad tempora-

E

lia

An Regula-
res perpetui
esse possint,
& an cum
socio exponi
debant.

lia & spiritualia simul, atque ita subiectiva & incorporativa, per quam Parochiales effectæ sunt de mensa Monasterii, cum perceptione decimarum, quæ dantur pro exercitio curæ, tunc Abbatii non competit solum jus præsentandi cum institutione collativa danda per ordinarium, sed ipse potest deputare Vicarios ad nutum, præviâ tantum approbatione Episcopi ut *Glossa in Clement.* frequens dō excess. pr.elat. §. quidem etiam verb. ad mensan. ibi; aut pleno jure spestat ad illum etiam quoad spiritualia & tunc habet locum quod dicitur de Vicario temporali. Post eam Gonzalez, Murga, Anton. Maria de Nigris lib. 2. c. 12. n. 11. & communiter omnes. Quare ad hæc concilianda sustinendum est: Imò quod licet Pius V. in Const. ad exequendum 1567. dederit Regularibus facultatem exponendi Regulares, attamen facultas hæc removendi ad nutum, quæ resideret in superiore, non tollit perpetuitatem beneficij in potentia seu aptitudine, ut reprobato Navarro tenet *Garc. de benef. p. I. c. 2. n. 75-76.* 79. ibique Azor. nam non confertur ad tempus certum ac definitum, ut alia temporalia, quæ verè beneficia non sunt, sed ad tempus incertum & indefinitum, scilicet quoad illud revocaverit Superior, quod *perpetui rationem* non tollit, aut minuit: perpetuum enim in jure dicitur, quod potest esse perpetuum, vel quod certo tempore non terminatur. *Amostaz de causis piis lib. 3 c. 1. n. 10.*, Corrad. in *praxi benef. lib. I. cap. 6. n. 280.* Remotio potest non succedere ad voluntatem Abbatis & sic habes beneficium perpetuum ad vitam, aut si etiam temporalitas propter remotionem succedat, per accidens est; ut si Secularis, qui verè perpetuus est, à beneficio per accidens removeatur ex causa legitimis in jure scriptis, puta ob delictum inducens priva-

privationem beneficii, talis remotio, quia accidentalis, non tollit substantiam perpetuitatis: ita pariter amovibilitas illa ad nutum ut potè accidentalis substantialia beneficii non mutabit. Accidentalis autem est, quia non provenit ex beneficii institutione, sed ex eo, quod is, qui illud obtinet, subiectus sit Superiori quoad officia, habitationem, totamque vitæ directionem *Garc. l. c. n. 78.* radicatur itaque manualitas hæc in ipsa obedientia professionis Religiosæ, non in natura beneficii, quod perpetuum est, & durat remoto obedientiario: ex eo ius quoque percipiendi redditus stabile est penes Rectorem principalem, vid. *Murg. p. I. q. 1. de benef. n. 4. fol. 4.* quibus accedit, quod obedientiarii hi non pro libidine aut in calu diffamante per Abbatem, sed arbitrio boni viri removeri debeant *Zypaeus lib. 3. de Regul. n. 46.*

Sustinendum est secundò Monachos, ut sic formiter ad Conc. Trid. perpetui esse possint salvâ professione eorundem Religiosâ, necessariò alium Monachum in socium habere debere. Refrinxit Pius V. *Constit. cit. §. 7.* datam facultatem exponendi Regulares ad casum quidem, ubi in simul 4 Regulares expositi viverent; at Gregorius XIII. *Constitut. in tantâ rerum, & negotiorum mole 1573.* ad pristinum, & integrum statum, ac terminum juris communis Pii V. Constitutionem reduxit, statuit tamen, ut unum socium secum Regularis expositus habere debeat. Non attentâ replicatione, quod idem Gregor. XIII. vivæ vocis oraculo revalidârit dictam Pianam Constitutionem: quia hujusmodi vivæ vocis oracula apta non sunt derogare eidem literali: *Constit. 27. Greg. XIII. in Bullar. nov. tom. 2. quam confirmavit Urban. VIII., Ursaya Disce. Eccle. tom. VI. p. 2. discept. 41.*

E 2

Ea

Ea ratione Regulares praefixi curæ Parochialium proprii Ordinis, quævis à Monasterio dissitarum, adhuc inservire dicuntur Religioni ac claustraliter vivere intra septa sub oculis propriis Superiorum Regularium: veluti à quibus visitari, & corrigi possunt, ac pro eorum libito ad claustra revocari ut per text. in cap. cum singula de præbend. in 6., in clement. in prima de supplen. negligenter, & in clem. frequens §. quidem verò de except. Prelat. ac firmant communiter Fagi. in cap. grave n. 35. & seq. de Offic. Ordin. & in cap. quod Dei timorem n. 14. & 15. de Stat. Monach. Thomasin. p. 1. lib. 3. cap. 22. n. 10. Gare. Laym. apud Pirk. lib. 3. tit. 5. n. 218. in f. Rot. in Aurien. apud Pignatell. consult. 53. n. 11. tom. 9. his verbis: dummodò in ea Parochiali, in qua unus Monachus fuerit Vicarius deputatus, habitet secum duntaxat unus aliis Monachus socius. Id ipsum olim jam fuerat introductum per Conc. Lateranense cap. 2. de Statu Monach. cui quoad Monachos neutriquam derogavit Innoc. III. in cap. quod Dei timorem 5. de Stat. Monach. quia (1.) indubie Innoc. III. more suo hoc afferat auctoritate Canonum, quos sub nomine S. Ambrosii, & Bonifacii Papæ legerat apud Gratianum can. 21. & 25. XVI. q. 1. quos apocryphos & authoribus illis falso adscriptos agnoscunt Eruditi: (2.) Honorius III. imminutus Innocentii Successor cap. 3. statuit, ne singuli in singulis ipsorum prioratibus commorenentur, etiam in casu, quo pluribus non suppetunt facultates eorundem, additâ ratione, quod fit contra Conc. Lateranense. Idem cap. 4. de Capellis Mon. his verbis: ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli Monachi -- in quibusdam prioratibus habitent solitarii contra Statutum Generalis Conc. ideoque mandamus quatenus ipsorum Abbates seu Piores, ut vel ipsos adclarerentur

strum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deserviri per Clericos Sæculares vel alios Monachos eisdem assident, cum quibus vitam possint ducere regularem, monitione præmissâ per Censuram Ecclesiasticam comp. II s. (3.) Capitulum quod Dei timorem 5. solum loquitur de Canonicis Regularibus, qui hoc speciale habent, quod è Claustris semel ex dispensatione tamè Summi Pontificis egressi, habitum Sæcularem assumere possint, & ab obligatione secum retinendi socium sui Ordinis liberi, & immunes sint: per Constitut. Benedict. XIV. de capacitate Canonorum Regularium Lateran. & Ss. Salvatoris 1745. ed. pag. 12. Pro Monachis verò non nisi unica exceptio est, quando Ecclesiæ Parochiales adeò Monasteriis propinquæ, ut Religiosi operam suam iis impendere & intra Clastra manere possint, inter Monachos suos conversari, & vitam communem agere: Conc. Trevirensse 1549. cap. 12. Card. Laurentius Compegius Apost. Sedis Legatus in Concil. Raisbon. c. 12. sancivit, ne cura animarum concedatur Religionem quamcunque profertentibus etiam exemptis nisi urgeat necessitas, & cap. 13. nisi Ecclesia adeò propinquæ, ut sub Religione & obedientia in Monasterio stare possint apud Bail. in Summ. Conc. tom. 2. & Thomassin. part. 2. lib. 3. cap. 22. n. IV. sed & ab hoc rigore Ordinarii subinde rationabiliter discessere Fagn. ad cap. in Ecclesiis de Capell. Monach., non tamen tam duri hic erimus ait Conc. Coloniense 1536. quoniam interdum viros Monasticos quos Regularis vita exemplo & doctrinæ salutaris disseminationm insigne compierimus apud Ecclesiæ Parochiales relicturi & confirmantur simus: Attramen inclemenciarum non esset, si Parochiæ Parochus Monachus negaretur, cuius eximia esset doctrina & pietas singularis, dicente P. Pichler lib. 3. iii.

V. §. IV. n. 37. ad 3. transeat quid forte melius admittetur per Regulares, quod non semper verum est, tamen ipsi Regulares contra suam professionem objiciuntur multis periculis propriæ perseccionis in modo & salutis, si exponantur præterim absque necessitate in Parochiis extra sua Monasteria: dem potius attendi debet dispositio juris: Conc. Trid. scilicet Vicarios perpetuos esse exponendos, quia in deputatione curati non agitur de providenda Ecclesia Monasteriis unitâ, sed de providendo populo.

§. VIII.

Unire com-
petebat autem
Trid. toli
Episcopo,

Atque ut salubrius populo Christiano provideatur per Rectores vel Curatos stabiles: Uniones subjectivæ Ecclesiarum saltem Parochialium quovis tempore rariores erant: nec cuique fas erat hujusmodi beneficia curata unire: denegatur enim hoc Prælatis Episcopo inferioribus, licet ad eos Ecclesiae pleno jure spectent, nisi in hisce Ecclesiis Jurisdictionem Episcopalem habeant: *Panormit., Joannes Andr. &c. apud König lib. 3. tit. 12. §. 4.*

Episcopi quoque potestas beneficia curata uniendo jure novo Conc. Trid. in multis limitata & resticta est: at ante Trid. indistinctim Episcopos ea plenariè uniendo potestatem habuisse communiter docent *ex cap. expofuisti de Præbend. & Cap. sicut de excess. Prælat.* ibi: *Sicut unire Episcopatus, atque potestati subjecere alieni ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur; ita Episcopi est Ecclesiarum sue Dioceses unio & subjeccio earundem.* Ne-
rum cum de se Constitutiones ac novæ leges non prodeant per viam moderativam juris veteris, & communis, sed in istius corroborationem & ampliationem, atque in legibus novis sanctiones antiquæ potius ianoventur: ex hoc

hoc fit quod sicut nunc ex Conc. Trid. Ordinariorum potestas curata beneficia uniendi multum legatur restringita, in corrobationem juris veteris, & communis ampliationem id factum esse censendum sit: de stricto enim jure (sunt ipsa verba Decisionis Rotalis in Frisingen. juris deputandi curatos 24. Mart. 1713. Cor. R. P. D. Ansaldo §. diximus:) de stricto enim jure non potest Episcopus ex se supprimere Ecclesias, ejusque titulos, & alteri unire & in corporare ut latè fuit animadversum in illa Cracovien. Præposituræ seu Parochialis 28. Jun. 1684. Cor. Card. Mathæo & in alia Cracovien. Parochialis 4. Febr. & 3. April. 1705. Cor. b. m. Caffarello, & tactum fuit in altera pariter Cracovien. seu Sandomirien. juris patronatus super attentatis I. Jul. 1712. §. eoque clarius Cor. me.

Olim enim uti nunc beneficiorum unio, alienatio-
nis species erat, ad quam magna & necessaria causa re-
quiritur: Rebuff. tit. de Union.

§. IX.

Cæterum vel Episcopo in sua Dicecesi, vel S. Pon-
tifici in tota Ecclesia beneficia, aut Episcopatus uniendi
potestatem denegare nefas esset ex defectu suæ potesta-
tis transmutandi de statu perpetuo sæculari, & collati-
vo in statum manualem regularem & amovibilem juxta
text. in cap. proposuit: de præb. c. 2. eod. tit. in 6. & cap. I.
de translat. Episcop. notantque Gloss. in cap. quando verb.
veri Dei de translat. Episcop. & ibi: Fagnan. n. 41. &
seq. beneficia enim sæcularia à Regularibus non posse ad-
ministrari, unicè profluit à jure positivo jubente bene-
ficia sæcularia sæcularibus esse conferenda, in cap. cum
singula de præb. in 6. Clement. I. de Elect. & Clem. I. de
suppl. negligent. Prælat. Proinde cùm solùm de stylo Ro-
manæ

Et S. Ponti-
fici.

manæ curiæ inductum sit, quod sine Apostolica dispensatione non admittantur, totaque causa incompatibilitatis resultet à statu personæ, quæ ob regularem professionem effecta est incapax, potest utique S. Pontifex, penes quem residet omnimoda quoad beneficia potestatis plenitudo, ut notant *Felin.*, *Dec. Gomez.* &c. beneficia secularia Regularibus plenariè unire: sicut etiam potest Regularia secularibus conferre, cum & siue immutatione naturæ Regularis, ut pañim videmus in Com mendis Monasteriorum, Abbatiarum, & Prioratum, qua Eminentissimis Cardinalibus Prælatis, aliisque Clericis Secularibus conceduntur regulari primævâ naturâ non immutata, & quasi commendatarius ipse esset Abbas & Prior, vel alius Superior, ut monent *Abb. in cep. de Monachis n. 9. in f.*, *Felin. in cap. in nostra. n. 44. versu septimò nota in fin. de Rescript.*, *Lotier de re benef. lib. I. q. 34. n. 8.*

§. X.

Qui lite
pendente
upiendo de-
rogare non
vult juri
quæsto.

Ex defectu Voluntatis verò multoties jam Summorum Pontificum Bullæ pro invalidis habitæ, ac in effetu remanserunt, quatenus falsis, & erroneous narrationibus extortæ sub- & obreptionis vitio infectæ dignoscabantur. Sic *Benedictus XIV.* anno Pontificatus primo 1741. in favorem Imperialis Monasterii & Abbatis *Gengenbacensis* Ordinis Sancti Benedicti literas Apostolicas in forma Brevis expeditas concesserat ad item extinguendam ac in simul motu proprio, justisque de causis animum suum moventibus, deliberatione & potestatis plenitudine quatenus opus sit, & ad abundantionem cautelam, eidem 7. Parochiales Ecclesiæ ibi enumeratas perpetuò tum in Spiritualibus, tum in Corporali-

ralibus univit, annexuit, & incorporavit. At delatâ d.
Brevis notitiâ ad Eminentissimum & Reverendissimum
D. Cardinalem de Rohan, cùm iste animadverteret gra-
vissima præjudicia, quæ in sua Diœcesi executio dicti
Brevis esset allatura, in diminutionem divini cultûs, &
salutis animarum, suæque Ordinariæ jurisdictionis, ope-
ræ pretium duxit ad Sanctissimum Dominum nostrum
preces porrigere pro declaratione Pontificia Voluntatis
super executione dicti Brevis: atque ideo juxta men-
tem Sanctissimi deputata fuit Sacra Congregatio parti-
cularis Eminentissimorum & RR. DD. Cardinalium, Cor-
radini, Aldrovandi & Valenti, ac R. P. D. Cavalchini
& Millo cum facultatibus necessariis & opportunis, et-
iam de aperitione oris. Pro parte Monasterii ac d. Bre-
vis subsistentia agebatur sequentibus de causis: quod
Breve vel gratia concessa motu proprio inducat præ-
sumptionem; quod Papa re verâ motus fuerit iusta de
causa ac propriæ voluntatis impulsu non autem per ali-
cujus importunitatem, aut suggestionem, adeoque ad
eam irritandam rigidiores & urgentiores probations
requirantur ad concludendum aliquod intrinsecum, &
substantiale vitium sub- vel obreptionis ut *Card. de Luca*
de jurisdictione. Disc. 8. n. 3., Rot. in Ravennaten. pensionis
super aperitione oris 3. Junii 1726. §. finali Cor. Calcagni-
no, & in Juvenacen. Jurisdic. 28. Mart. 1732. §. 5. &
seq. Cor. Millino. Quod gratia Apostolica, si de Pote-
estate non dubitandum sit, ac de voluntate sic ad literam
conster, debeat esse mansura, nec in irritum mitenda
sit. per text. in cap. decet de R. J. in 6. Quod non ap-
ponibile sit præjudicium partium, cùm expressè sit omni-
bus quibuscumque juribus eventualibus per Breve de-
rogatum; Nec alterum totius Cleri Sæcularis grava-
men,

F

men,

men, cùm illud, qualecunque sit, proveniat ex ipsa naturâ gratiae unionis plenariae & subjectivae: in nulla autem consideratione haberi solet pro impedienda, vel retardanda executione cujuscunque similis gratiae de sua natura præjudicialis, veluti quod jam prævîsum censetur à Papa, & ab eo habitum pro insufficienti ad dengandam gratiam, quanvis subtacitum fuisset in Brevi; & nulla inibi facta expressa derogatio ut Corrad. in prax. benef. lib. I. c. 14. n. 64. & lib. 2. cap. 15. n. 16., Lotter de re benef. lib. I. q. 11. n. 22. Quanquam adhuc præjudicium tertii, adhuc tamen justissimæ causæ S. Pontificem ed commoventes ut Rot. in Invenacen. Jurisd. 28. Martii 1732. Cor. Millino §. 25. ibi: si enim Papa omnes easdem facultates notas habens atque perspectas, opera & pretium duxit pro bono pacis & meliori utriusque Ecclesiæ Regimine illas moderari, nulla jam habenda est ratio præjudicii utcunque gravis dicto Archi-Presbytero illati, cùm ubi Papæ Voluntas derogandi juri terii est clara, qualecunque istius præjudicium non attendatur. Verum his & similibus non attentis Breve illud undique Sub- & Obreptionibus acsi infectum esset viriliter impugnabatur, omnia enim à Monachis distinctim, ac perspicue summo Pontifici in materiâ hâc præjudiciale exprimenda ac enarranda fuissent, ut idem S. Pontifex in plenam & omnitudinem venire potuisset cognitionem illius præjudicii, quod tertio irrogatur, aliás semper ob defectum voluntatis in concedente gratia subreptionis vitio obnoxia reputatur: ex juribus notissimis.

§. XL

Unio necessariò fit ex causa utilitatis vel necessitatis. Eoque facilius in casu aperitioni oris dabatur locus, quod majus præjudicium per unionum Breve Apostolicum

cum divino cultui & saluti animarum inferebatur: unio quippe subiectiva à communi Ecclesiarum utilitate aliena, nunquam nisi ex urgente causa permitti debet, aliter facta subsistere nequit, ut *Ventriglia cum observ. Caroli Ant. de Luca Tom. 2. annot. 8. §. 2. n. 24. & 25.* unionem sine causa vel ex causa falsa factam ipso jure nullam judicat. - CC. Constantiense, de quo supra, sub Martino V. habitum teste Harduino in Collectione Conciliorum Regia, & Emmanuele Schelstrate in suo tractatu de sensu decretorum Concilii Constantiensis sess. 43. tit. de union. in terminis habet: ibi --- Revocamus etiam omnes uniones, & incorporationes, à tempore obitū Gregorii XI. --- Circa alias verò uniones, quæ effectum jam fortitæ fuerunt, cùm certa regula dari non possit, ad quelas eorum, quorum intereret, si non ex rationabilibus causis & veris factæ fuerint, licet Apostolice sedis Authoritas supervenerit: Revocabimus justitiâ mediante, vel aliter secundum juris exigentiam providebimus, vel si Nationibus placet, fiat revocatio pro præsenti. Reetè proin Rebuff in praxi p. 1. tit. de union. n. 38. afferuit unionem duabus duntaxat ex causis fieri posse Conformiter ad responsum Honorii III. in Cap. 33. X. de præbend. & Trid. sess. 7. C. 6. de reform. si evidens recessitas, vel utilitas exigat; Conf. J. Philip. Slevogt. Comment. de divisione Eccles. & benef. 1746. Jenæ edit. Comment. 3. §. 22. 31. & seq., Comment. 4. §. 2. &c. Causæ enim legitimæ non sunt, quæ utilitatem hanc, aut necessitatem Ecclesiæ non respiciunt, & quidem evidentem, uti omnes Ecclesiarum alienationes apud Clar. D. Barthel in dissert. de reb. Eccles. non alien. 1749. eandem, ut validæ sint, claram & indubitatam, certam non autem incertam importare debent, hóque principium, ait

F 2

Art.

Art. II. n. 9., hodie nullam admittit in foro quæstionem, sed præsupponi valet, ac Tyronicum videtur auctoritates desuper deducere vel desiderare. Unicam exceptionem facit *Rot. in Vrgellen. Vicarie 20. Junii, 1729. Cor. R. P. D. Ratto §. absque eo:* Ubi agebatur de subvertenda unione ab Episcopo legitimâ facultate suffulto post sedulum examen cum Consilio, & consensu Capituli tot ab hinc seculis expleta: his in circumstantiis *ait Rota:* æquitati consonum non esse, quod Possessor ad justificandam causam unionis, quæ sub antiquitatis latebris delitescere potuerat, teneatur assumere concludentes probationes: pro sufficienti autem causa ac uniendi necessitate reputatur, si duæ Ecclesiæ vicinæ adeò tenues redditus habeant, ut ad sustentationem duorum Rectorum, vel non sufficiant, vel non sint, qui eas acceptent, si bello, aut peste imminutæ, *Pirkung. lib. 3. tit. 5. sect. 6. n. 209.*, Dannreutter in Diff. inaug. de jure Retenc. §. VI. 1747. Altorsii.

§. XII.

*Vocatis
quorum in-
ter. est.*

Sanè, ne ipsas uniones sinè legitimis ac rationabilibus causis fieri contingat, jam pridem cautum fuit, per *Regulam Cancell. 22. de unionibus & unionum confirmatione.* ut semper commissio fiat ad partes vocatis iis quorum interest, adeò, ut unio etiam auctoritate Pontificiæ hodie non in forma gratiosa, sed in forma Commissoria fiat: Licet S. Pontifici competat Potestas quæcunque tum majora, tum minora beneficia uniendi, non tamen solet ea unire non requisito consenso Episcopi & Capituli Cathedralis, Patroni Laici, aliisque *vocatis quorum interest.* *Pirkung l. cit. n. 210.*, Schmaltzgr. eod. tit. §. 5. n. 171., van

van Espen p. 2. cap. 3. J. Philip. Slevogt. l. cit. Com. III.
 §. 10. & seq -- Unire enim Ecclesias parochiales ne-
 gotium grave, & arduum est, consequenter merito
 tractari debet cum Episcopo, & Capitulo: *Ventriglia*
cit. l. n. 2. quod de sectione habet J. Phil. Slevogt Com-
 ment. I. §. 19. *neutquam fas esse*, Episcopatum eā le-
 ge provehere ad Metropoliticam dignitatem, ut antiquio-
 ris Metropolitani jura diminuantur & Ecclesiārum pro-
 vincia in duas dividellatur. idem omnino de unione be-
 nef. dicendum; quod usque adē verum est, ut non le-
 vis dissensio sit inter Authores, an Episcopi diocesanos,
 in qua alienans vel potius ejus, in qua res sita est, au-
 thoritas exigatur, neque desint, qui utriusque autho-
 ritatem, vel consensum desiderent. Baldus in lege *si*
prædium 16. Cod. de præd. min. ait Episcopi utriusque
 interesse. *Petra ad Conſt. I. D. Leonis M.* habet se-
 quentia formalia *sub ſect. 2. n. 81.* quāvis tutius esse u-
 triusque requiri consensum, advertit Reduan. de alien. rer.
Eccles. rubr. de auctoritate Episcopi n. 40. Utriuslibet
 interventum sufficere vult Bartholus *in l. cit.*, Brunne-
 man *in leg. cit. n. 3.* ibi ---- Colligunt DD: decretum
 de alienando interponi debere ab eo, sub quo res sita. E-
 contrā determinatē Episcopi loci, in quo res sita est,
 consensum exigit Gloff. *in Can. in venditionibus 17. queſt.*
4. v. eodem. arg. l. cit. & c. ſanè 3. de for. compet. Gratian.
diſ. 473. n. 13. Card. Petra loc. cit., Barbus de jure Pa-
 tron. *in ſpecie p. 3 alleg. 69. n. 17. de offic. & potest. Episc.*
 ibi, hujusmodi consensus debet esse Episcopi illius diocesanos,
 in quo sita est Ecclesia per cap. cura de jure Patr.

In tanta Doctorum diversitate tutius eligere, ac
 utriusque Episcopi consensum adhibere Abbates ut plu-
 rimū sibi utile ac Consultum, ad tollendam vero o-

mnem ambiguitatem, securitatēmque Stabiliendam omnino necessarium fore, attestantibus veterum unionum Bullis jam olim existimārunt.

CAPUT III.

UNIONIS SUBJECTIVÆ ARGUMENTA SIVE PROBATIONES.

§. I.

Status ultimus.

QUæstiones in hâc Unionis causâ hodie agitari solitæ non sunt juris tantum, sed & facti, hoc est: circa concludentem probationem unionis exfirmatis in *Leodien. Vicariae 1719. S. de Unione Cor. Herrera, usq[ue]a.* Ac primò quidem unio subjectiva, & accessoria prout Doctores quām plurimi contendunt, solidè comprobatur ex ultimo statu, mihi signum saltem attestativum est non repudiabile adeò, ut in præsenti penitus, accuratiusque circumstantias variabiles, ac diversas casuum exceptiones annotasse vanum non existimaverim. Vera regula est status ultimus in beneficio, an seculare vel regulare sit, attendendus ex Cap. querelam, 24. de Eleçt., cap. cum olim de causa possess. & propr., cap. consultationibus 19 de jure Patr., Pitonius de controv. Patr. alleg. II. n. 21. alleg. 14. n. 18. alleg. 17. n. II. adductis decisionibus Rotæ compluribus præsertim in *Hyponeg. beneficij 11. Febr. 1704. S. nec obstat Cor. Muto.* Regula, inquam, est; sed bene hic applicatur illud, quod nepotem suum docebat *Marta in præfat. ad Concil. super Methodo respondendi, & allegandi in jure, dicendo, quod Responsiones ad*

ad allegationes ex diverso factas per speciales decisiones faciendae sint, non autem per regulas generales, quando habemus doctrinas individuales: non debet Judex ita de facili & clausis oculis inclinare insuperficem ultimi statu: *Pitonius alleg. II. cit. n. 12.* dum iste in beneficialibus est maximi præjudicij, non solùm quia post evictam pertinentiam im petitorio Patronus verus nunquam amplius recuperat fructum possessio- nis, qui recuperatur in profanis, sed etiam, quia ho- die teste experientia hujusmodi ultimus status tantu fa- cilitate attendi solitus vergit ad iniuriam, *Pitonius* locis suprà citatis loquitur de statu ultimo firmato per centenariam, vel per sententiam in judicatum tran- saetum.

Adeoque si de veritate constet aliundè, nec tem- pus ad præscriptionem sufficiens ostendi possit, status ultimus neutriquam attenditur, sed præsumptio cedit veritati *Rot. in Recent. p. 2. dec. 737. n. 6.*, *Schmier l. c. sect. 2. n. 49.* quia ad effectum sic justificandi statum be- neficii non sufficit unica provisio, sed requiritur legiti- ma præscriptio: *Rot. 19. Junii 1682. Cor. Jacobo Em- merix §. 1.2. 3. & præsertim 4.* in terminis. Hujus ex- emplum est in *Dec. Rot. Cor. R. P. D. Nunez Decano in Compostellana Parochialis de Oroso 24. Jan. 1744. §. fi- nali*, ibi - - in sacro illi tribunali disputatione desuper habitu beneficium curatum *S. Martini de Oroso* decisum est non fore de Jure Patronat. Eccles., sed Laicali fa- miliae comitum de Altamira, non obstante, quod S. Pon- tifex 1719. beneficium tanquam vacatum in mense re- servato liberè contulerit, quia ut in §. finali d. decif. Rot. clarè exprimitur, non ultimus status, sed jus clarum Patronorum attendi promeretur juxta constantem sen- tenti-

tentiam Sacri Tribunalis. Minus allegabilis est ultimus status ubi qualitas personalis in attentionem venit, tunc successor non habens illam vestem nuptialem, intellige qualitatem personalem, allegare non potest possessionem sui auctoris: Pitonius alleg. 100. n. 557. Neque idem omnino modus est de statu imprimendo: *Loter de re benef. q. 34. n. 9. & 10.* Aliud omnino est, si repugnat jus commune, & aliud si assistat; quando tradatur de imprimendo statu contra jus commune, necessè est, ut ostendatur priùs Episcopum, aut Prælatum Regularem ita beneficium à principio instituisse, nam præsumpta tantum dicitur probatio, quæ oritur ex simplici ultimo statu; quid ergò roboris, ac virtutis retinebit in concursu alterius præsumptionis juris, & Canonicae Sanctionis: beneficia curata omnia fæcularia fore dicenda? Ex supposito etiam sit hujusmodi observantia, & Monachorum exposicio justificata, ac plurium annorum, nullatenus relevaret veluti derogata ex dispositione S. Conc. Trid. sess. 14. cap. 10. muniti decreto irritante. Sanè ex dicendis uberiori patebit, ultimum statum sive expositionem Monachorum pro immutando statu Sæculari Parochialis Ecclesiæ nihil admodum conferre, quia regulariter destituitur illis conditionibus ad hunc finem requisitis tempore, titulo, bona fide, voluntate, ac potestate superioris, aut etiam ordinariè usus iste processus est ex causa atrocis belli, v. g. Belli Suevici, calamitatum, ac inopia Clericorum Sæcularium. Regularis itaque vel Monachus ad Ecclesiam Sæcularem assumpitus non officit, quod minus Ecclesia in primævo Sæculari Statu perseveret. Card. Petr. tom. 2. ad Conf. I. Anastasi IV. secl. i. sub n. 13. ad Parochiales assumpiti licet remaneant Monachi, attamen subduntur Episco-
po,

po, & sic beneficii status non alteratur: clare hoc insuper ex commenda dari solita perspicimus, ubi admisio legitur facta non absolute, sed provisionaliter: *licentiam usque ad revocationem nostram ex officio imperium.* Status ultimus proinde non simpliciter attendus est, provisionales enim admissions nullum inferunt veritati præjudicium neque in petitorio, neque in possessorio juxta præcisa verba *Rot. det. 842. n. 1 L. Cor. Dunoz Jun; Ursaya Disc. Eccl. tom. III. p. 2. Disc. VI. n. 11.*

Minime demum subsistit argumentum, quod ex propria incapacitate desumunt Regulares, collatio, inquiunt, & institutio facta de Persona Regulari in beneficio saeculari, est ipso jure nulla; adeoque si expositi Regulares, beneficium regulare supponendum est. Nam malè factum benè corrigendum, nec sanctum aut iustum est, quod justè sancteque factum non est; ac proin debile nimis hujusmodi confugium *in Argentina Parochialium 30. April. 1745. Cor. R. P. D. Millino* compertum fuit, ubi in specie §. 7. & 8. respondet: *sententia, per equè recepta est: nominationem & assumptionem Regularium permisam Consilio non immutandi statum, aut extinguendi titulum Ecclesie non modo non trahi posse in argumentum Statutus Regularis, sed etiam efficere, ut Regulares tanquam Saeculares censeantur electi,* ut docent, *ind. Argentina Lap., Felin., Sanchez., Lotter, & Rota in Valentina Vicariæ 12. Febr. 1734. §. 8. & 10. Cor. Crescensio.*

In aliis causis, ubi nulla juris resistentia tota subin decisio ex statu ultimo dependet: non tam valet ad firmandam quasi possessionem præsentandi, quam ad probandam qualitatem majoris v. g. proximitatis imius præ altera linea *in Paderborn Benef. 28. Junii 1734. Cor.*

G

R.P.

R. P. Tanaro -- ibi -- Joannes Theodorus Dingerschus, utpote præsentatus à Rebecca Elisabetha Beckmannna habente pro se ultimum statum omnino præhabitus est, in ejusdem institutione vel adjudicatione. vide Piton, de Controv. Patr. all. 40. n. 14. & alleg. 46. n. 1. Fortius ad hoc probat status ultimus, si unisonè ad jus commune & Canonicas Sanctiones Ecclesiarum Parochialium Sæcularitatem confirmat: sic quemcunque dubitationis scrupulum dispellit, ut in Colonien. Parochialis. 7. Febr. 1749 Cor. R. D. Bussio §. 7. ibi -- si pro adstruenda qualitate Sæculari Ecclesiæ Parochialis ultimo statui conformis est immediata antecedens collatio, utique ad verificationem literarum Apostolicarum datum non erat tutorem probationem excogitare.

§. II.

Præscriptio
40. anno-
rum, vel
immemori-
alis.

Ad transferendum vero beneficium tam è statu Regularitatis ad Sæcularitatem, quam vicissim è statu Secularitatis ad Regularitatem sufficere tempus vel im memoriale, vel quadraginta annorum cum titulo colorato supponimus ex Trident. sess. 7. c. 6. de reform., Barb. in idem Conc. ex cap. 5. de præbendis in 6to, ibi -- beneficium ex eo Sæculare vel Regulare habendum, si tanto tempore à Clerico vel Religioso fuerit continuo ac pacifice gubernatum, ut præscriptio legitimè sit completa, ad hunc effectum in modo requiritur, ut præscribens beneficium illud à Regulare tempore legitimo possederit. Rota in Alerien beneficiorum 29. Martii 1610. Cor. R. P. D. Pamphilio apud Farinacium dc. 233. n. 5., Garc. p. 12. c. 2. 232. & 236. 2dō in præscriptione 40. annorum beneficij secularis, quia hoc contra jus commune, requiritur titulus Coloratus c. 1. de præscript. in

6.

6., Barthol. socin de Reg. jur. v. præscriptio Reg. 376.
 Card. Petra &c. Alias nos non urget diuturna ac
 immemorialis consuetudo assumendi Regulares: Defi-
 ciente enim titulo expresso refugere ad tacitum vel
 præsumptum ab immemoriali seu centenaria promana-
 tem ex se jam ardua nimis provincia est: plerumque
 initium consuetudo illa habet ab indulto Ordinariorum
 et si cohærenter cum eo processit, ex quo sequitur can-
 dem non prodeste ad productionem tituli præsumpti,
 neque ad unionem subjectivam referibilis juxta limita-
 tionem præscriptioni seu Consuetudini immemorabili
 communiter datam. Rota in Argentina Parochialium
 30. April: 1745. §. 16 Cor. Millino., Rot. Cor. Ansal-
 do decis. 78. n. 39. ibi -- impossibile est agere de immemo-
 rabilis, cum ei è diametro aduersetur, & repugnet initium
 tituli vel privilegii. Solus quoque rumor contra imme-
 morabilem, ac unicus actus exuberat, destruitque
 machinam universæ probationis, ut alii relatis tradunt
 Card. de Luc. de jurisdict. Discurs. 3. n. 8., in Raven-
 nat. sive ferrari. jurisdict. super reservatis 10. Jan. 1746.
 Cor. Millino §. 5. ibi-verùm etiam integra atque illæ sacon-
 servata est (sæcularitas Parochiæ) ejusque possessio, quæ
 tanquam assistentiâ juris munita per unicum etiam actum
 contra Centenariam gestum incolmis reinetur. ad nota-
 ta per Bald. in cap. querelam n. 16. de elect. Rot. Cor.
 Buratt. dec. 914. n. 8. Cor. Falcon de offic. ordinar. dec.
 22. n. 12. & 13. & in dicta Paderbornen, jurisditionis §.
 19. Cor. Millino.

§. III.

Nec quidquam enim de beneficii statu mutatur,
 dum deficiunt illa requisita, quæ copulativè ad hunc ef-
 G 2 fectum

Auctoritas
& voluntas
Superioris
requiritur,

sed ut requiruntur ex dispositione textus in cap. cum
 de beneficio. de præb. in 6. authoritas nempe, & volun-
 tas superioris, atque observantia (40. annorum,
 quorum altero ex requisitis deficiente allegata mutatio
 statutus beneficii nunquam inducitur, ut Communiter
 omisis decisionibus Rotæ tradunt DD. in dict. Cap. Gonz.
 ad Reg. 8. Cancell. Gleff. 7. n. 8., Lotter de re benef. lib.
 I. quæst. 34. n. 52. & 59. ibi si Religiosus preponatur Ec-
 clesie seculari -- licet talis Ecclesia per 40. annos per eum
 gubernetur, non censetur ejus status mutatus de seculari
 in Regularem, quia nisi superior hoc declaraverit non cen-
 sebitur unquam hoc valuisse, ut Regularis ibi deserviat re-
 gulariter sed seculariter; atque ita nec simplicem quidem
 usum circa regimen mutare Schmalzgr. lib. 3. tit. 5.
 Lotter de re benef. lib. 10. buæst. 34. n. 7. Nihil enim
 prohibet, quod minus Regularis promoveatur ad Pa-
 rochiale non tanquam Claustralium, sed tanquam Re-
 ctor & Clericus secularis, ita ut tanquam alienatus à
 Monasterio, cum eo nullam retineat communionem:
 suadet hoc Ecclesiae Parochialis secularitas, quod Mo-
 nachis non concedita sit Parochia velut ipsis debita cum
 eo Consilio, ut Regularis efficiatur; suadent & aliae
 circumstantiae: si Monachi ab Abbatе præsentati: si
 examini subjecti, Institutionis litteras reportarint: si
 autoritate ordinarii, vel resignarint, vel avocati fue-
 rint &c. Ex his submovetur paritas circa alias dominii
 translationes, in quibus tacita sufficit Domini voluntas,
 in nostro enim casu expressa adest ordinarii noluntas per
 verba in Commendis: quo ad nobis placuerit, & suffi-
 cienter ex eo, quod Regulares tantum ex defectu sa-
 cularium, & sic per modum provisionis ob Causam ad-
 quiserit Rot. in una nullius Provinciæ Ravennaten, Vica-
 rie

riæ 14. Jun. 1737. Cor. R. P. D. Calcagnino §. vel enim. ibid. plures dec. Rotales. Quomodo enim cùm Regularis administrans Parochiam ibi deservire possit vel Regulariter vel seculariter, quomodo, inquam per tales administrationes, tanquam per actus de per se non præjudiciales, præjudicare, aut per actus ad utrumque indifferentes præscribere poterit? Et quidem contra sanctionem juris communis? verum etiam Tridentinæ synodi sess. 14. cap. 10. & 14. decreto irritanti communictæ præscribere poterit?

S. IV.

Contrarium magis adhuc ex Episcopi Institutione patescit: validum illa est Argumentum Unionis subjectivæ destructivum, maximè in casu, ubi modò disceptatur de ipsa unione, inutiliterque jam facta certa ac tuta supponitur, ut dixit Rot. Colonien. Pastoratus 2. Maj. 1746. Cor. R. P. D. Vice-Comite §. ibi - - ex institutione & Collatione in titulum perpetuum ab Archi-Episcopo indulta multò magis excluditur à dicto Pastoratu qualitas Regularitatis, & in hoc casu Regulares censeri debent electi & deputati ad curam animarum non regulariter, sed seculariter, ut dixit Rot. in Valentina Vicarie 12. Febr. 1734. §. 8. & 10. Cor. Eminentissimo D. Card. Crescenzio, & in Argentina Parochialium 30. April. 1745. Cor. R. P. D. Millino. Nec momentum habet, quod de Institutione autorizabili, ejusque Unionis accessoriæ compatibilitate proferunt, uno ore asserentes, quod si Ecclesia unita sit Monasterio vel Capitulo quo ad temporalia & spiritualia, ab Episcopo idoneus Vicarius sibi præsentatus, examinandus, & instituendus sit in Ecclesia unita institutione tantum autorizabili, quæ non importat

portat titulum & possessionem, sed approbationem respectu populi. *Card. Petra in Comment. ad Constat. 7. Urbanii IV.*, *Pirb. ad tit. de præb. n. 218.* Ejusmodi nāmque institutionem autorizabilem cum unione subjectiva compatibilem esse non tam subitō sufficiet, sed ostendendum est hīc & nunc Episcopi Institutionem ad simpli- cem tantū sive autorizabilem referendam esse: de se autem strictam institutionem ac propriam in titulum collativum unionis subjectivā destrutivam intelligimus, quam non modō affatim declarat *perpetuitas Vicarizē Garz. de benef. p. 11. C. 2. n. 3.* ibi DD. & decis. Rot. sed clariū etiam consentanea *Commemoratio Juris Patroni*, Abbatī competentis comprobat.

§. V.

Jus Patronatūs.

Frequenter hoc disputant, ac præsentationem per Abbatem factam volunt non ratione *Juris Patronatūs*, sed ratione unionis: *Pitonius de Controv. Patron. Alleg. 100. n. 74.* afferit varias decisiones Rotales, quod non destruatur probatio unionis ab expressione, quod quis habeat *Jus Patronatūs* in Ecclesia. At *n. 73.* admittit *cum Card. de Luc.* & *decis. Rot. aliis* expressionem *Juris Patronatūs* excludere unionem, & probare solūm *jus Patronatūs* propriè tale: *Lotter de re benef. lib. 2. qu. 8. n. 109.* *jus Patronatūs* activum & passivum utrūque simul in Rectore locum habere posse, nec præjudicare unioni, sed eam potiū supponere & firmare. In hac discrepantia ex *Pitonio l. cit. n. 75.* cum distinctione procedendum esse crederem, aut enim qualitas probationum, conjecturarum, & demonstrationum concludit unionem, & istam non destruit expressio *Patroni*, & *Juris Patronatūs*, cùm habens Ecclesiam unitam, largo &

& impropto modo dici possit Patronus, & habere Jus Patronatus, ut in dec. Compostellana Parochialium 5. Maii 1717. §. minisque: Cor. R. D. P. Criſpo. & in Aurienſi Parochialis de Rozamonde 16. April. 1717. Cor. R. P. D. Lancetta: aut verò qualitas probationum est dubia circa unionem, & expressio Patroni & juris Patronatus illam excludit, ut in decisionibus contrariis à Pitonio allegatis.

§. VI.

Idem est de reliquis unionis subjectivæ signis & quivocis judicium ferendum. Quale est solutio Cathedratici, aliorūque onerum Parochialium. Confirmat hæc yan Espen J. E. U. p. 2. tit. 29. cap. 1. n. 10. ita difſerens: alio modo fit unio, ut dum Ecclesia una alteri subjectetur -- per quam (unionem subjectivam) beneficium annexum amittit nomen beneficii, quamvis beneficium non omnino supprimatur, sed maneat in sua integritate, tam quo ad onera, quam jura, & proventus. Hisce solutioneñ Cathedratici docet unioni plenæ etiam quo ad Spiritualia non officere. Rebuff, ad reg. Cancell. de Union. n. 17.

Item Assignatio omnium reddituum ac decimarum itidem unionis plenariae, & subjectivæ argumentum esse prætendunt, si Monasterium ab immemorabili tempore semper & pacificè percipiat omnes, & singulos fructus, & redditus ne dum temporales, sed etiam spirituales, nempe decimas, & quidem tam majores, quam minutas, quæ verè & propriè dantur, & exiguntur ratione exercitii curæ animarum, ut in terminis tradunt. Pax Jordan. lib. 10. tit. 8. n. 67. Clericat. discord. 65. Barbos. de Paroch. cap. 2. n. 19., & 20. Card. de Luc. eodem tract. disc. 11. n. 3. & sapé Roia in Compostelana

Decima, &
assignatio
portionis
pro Vicario.

lana Parochialis II. May 1716. §. plenariam unionem Cor. bon. mem. Cerro. in urgellen. Vicarie 7. May 1731. §. confert. Cor. R. P. D. Millino & in nullius Provincie Ravennaten. Vicarie 14. Junii 1757. §. Quām, & §. tum etiam Cor. Eminentissimo Calcagnino. Pariter aliud argumentum ejusdem unionis plenariae & subjectiva prosequuntur omnes mox relati, si ex his omnibus reditibus & Decimis, quas integrè percipit Abbas certam tantum congruam seu limitatum solarium persolvat Vicariis Curatis, qui inibi pro exercitio curæ animarum deputantur.

Hæc singula quæque unionis subjectivæ & plenariæ signa, & argumenta, sunt tantum probatio præsumptiva, & conjecturalis, ac referri possunt ad titulum particularem administrationis Ecclesiarum à Monachis gestæ ex Indulto, aut etiam præscriptionis & unionis in temporalibus tantum ut Magistraliter. *Rot. in Argentina Parochialium 30. April. 1745. Cor. Reverendissimo P. D. Millino §. 17. 18. proinde non sunt extendenda ad probationem unionis subjectivæ, ut considerant Genz. in Cap. in aliquibus §. ille quippe n. 2. & 3. de decim. ibique Fagnan. n. 8. & 9. Rot. in Argent. citata.*

§. VII.

Omissio
Concursus.

Majoris non est momenti omissio concursus à sacro CC. *Trid. sess. 24. cap. 18. de reform. præscripti in provisionibus Parochialium, ex qua argumentum unionis plenariae aliás desumunt per Rotam Cor. Cerro dec. 886. n. 2. & seqq. Cor. Herrera dec. 161. n. 17., Conc. Trid. enim Parochiales Ecclesias, quatenus carum unio est, tantum in temporalibus, & cum solo jure præsentandi apud Abbatem subjecit concursui dando formam novam*

novam usque tunc non servatam, ut resolutum fuit
per sacram Rotam in Cracovien Parochialis 22. Jun. 1738.
Cor. Calcagnino. adeoque si ad solam nominationem &
deputationem Abbatum absque concursu formatione
Ecclesiarum Rectores deputentur, unionis subjectivæ
Argumentum, reddens vi suâ Ecclesiæ amenatas sive
de mensa Abbatiali clarè eruitur. Majoris, inquam
non est momenti, quia omissione concursus per se sola
non est apta ad probandam unionem plenariam, nisi alia
concurrent univoca ejus argumenta juxta casuum de-
cisiones *Cor. Cerro, & Cor. Herrera* de quibus suprà &
in Argentina cjt. §. 18. poterat enim omissione concursus
contingere per abusum, aut alia ex causa quam unionis
ex consideratis per Rotam *Cor. Falcon.* tit. de union dec. 3.
n. 9. Alia autem, quam unionis causa est (1.) quod
Parochiæ Monasteriis unitæ ex supra dictis sint, ut plu-
rimùm juris Patronatū Laici à Laicis quondam dona-
tæ (2.) vel si etiam juris Patronatū Ecclesiastici, lege
fundationis aliud subinde cautum sit ac diversum ab eo
quod in decreto Concilii Tridenti demandatum per tra-
dita apud *Garc. de benef. p. 9. n. 270. & 271.* *Corradin*
prax. benef. l. 10. tit. 8. n. 60. (3.) præscriptio imme-
morialis, de qua tamen adhuc dubitatur, an contra
Concilii Tridentini decretum vim habeat: pro affirmati-
va stant 1mō decisiones aliquæ Rotales *apud Piton. de*
Controv. Patr. alleg. 5. n. 2. 2dō Conc. Trid. recen-
fendo derogationes Indultorum, Privilegiorum &c. non
expressit inter illas immemorabilem. 3iūd Qualis ob-
servantia talis præsumitur fundatio, jam si antè & post
Trident. possit dari titulus veræ fundationis incompa-
cibilis cum nova hac forma concursus, etiam dari po-
tuit titulus præsumpta fundationis ex immemoriali pro-

H

ductus

ductus conformiter ad regulam Communem: idem operatur fictio in casu ficto, quod veritas in casu vero Barbos. axiom. 90. n. 1. sic patet cur vigilantissimi pro tempore Archi - Episcopi & Episcopi per Moguntiam, Herbipolensem, & spirensem &c. Diceles post Concilium Trid. toleraverint Parochiales provideri sine concursu per spatium adeò longum centenariæ & ultra, in sequendo mentem Antecessorum: Pro Negativa sententia facit, quod sacram auditorum ob gravem illam scissuram votorum in Legionem. Paroch. 2. Jul. 1706. Cor. R. P. D. Kaunitz successivè dubitaverit de subsistentia relatae opinionis affirmativæ ac ordinaverit, ut pro veritate hoc super puncto scriberetur à duobus celeberrimis advocatis Romanæ curiæ *Francis. Mar. Pittonio*, & *Prospero de Lambertinus*: quorum primus alleg. V. cit. n. 9. sic discurrit pro negativa: non ante Conc. allegari valet præscriptio immemorialis vel consuetudo, quia nasci non potuit antequam forma providendi per concursum prodiret in lucem; nec postea ob decretum irritans Conc. Trid. & Constitutionis Pianæ.

Citra quod omissione concursus ex causis allegatis unionem subjectivam pro Monasterio non probet, ulterius stabilitur ejus contrarium ex controversia Canonicistarum de vicariis perpetuis, quorum vicarias perpetuas auctoritate Episcoporum erectas concursui dicto subjiciunt, alii autem easdem liberas ex ea ratione afferrunt, quod titulo per unionem Monasteriorum factam extinto semel maneat extinctus & sic auctoritate Episcoporum licet factæ sint vicariae perpetuae, vacare nequeant: Ratio hæc posteriorum non subsistit ex eo, quod vicariate perpetuae sint vera beneficia P. Schmalzgr.

&

& Piehler. I. 3. tit. 5. quod vicarii perpetui sint veri Rectores in cap. 1. de præbend, in 6. assequuntur enim verum titulum Ecclesiasticum, titulum legitimum pro sacris ordinibus *Ventriglia & Carol.* Anton. de *Luca* obser. tom. I. Annot. 20. §. 2. n. 22., Canonicam institutionem, possessionem, jus ad omnes functiones caram animarum spectantes, jus ad Parochialem competentiam omnésque proventus Parochiales, licet non independens, & universale quo ad omnes decimas, bene tamen perpetuum, & certum mortuo etiam Rectore principaliter acsi haberet Ecclesiam intitulatam van Espen I. E. U p. 2. tit. 22. c. 2. n. 7. & 8. Antonius Maria de Nigris cit. Tract. de Vacatione Benef. lib. 2. c. 12. n. 9: & 10. ibi: *Vicariae perpetuae & vacant, & conseruntur in titulum, regulantur ad instar beneficiorum aded, ut ea, que disposita sunt in beneficiis etiam in ipsis Vicariis procedant.* Fagnan. in cap. ex part. n. 19. de Offic. Vicarii Garz. de benef. p. 9. c. 2. n. 286.

§. VIII.

Præsumptiva hæc & Conjecturalia signa de quibus usque nunc locuti sumus, non sunt ea argumenta unionis subiectivæ, quæ prævalidam juris præsumptionem pro libertate Parochialium militantem, et si plenè & perfectè justificata, suffocare possent, idcirco à conjecturis ad titulum expressum sive instrumentum unionis progredimur, quod ipsum denuò ut exceptionem à regula pressius hic sumere debemus, absorum enim esset, contra Statutum Sæcularem aliquid de rigore probatum remittere juxta monitum Rotæ Cor. Caprara Dec. 577. n. 13. Et in Gerunden. Unionis 7. Decembr. 1725. §. Cum enim Cor. Cerro. Evidem veneramur uti debemus

H 2

bemus S. Pontificum, Ordinariorum, æquè ac Imperatorum, Regum Romanorum, aut aliorum Principum, si tamen in forma authentica aliquando exhibeantur, Unionum Diplomata, Indulta & Gratias Monasteriis quibuscumque concessas: ac ut vetera præsertim instrumenta legitimè examinentur magnâ prudentiâ, eruditione, ac moderatione summâ opus esse, nec cuvis illo-tis manibus id tentandum velut regulam habemus ex Mabillonio Viro Maximo, qui millena autographia Diplomata nocturnâ, diurnâque manu versaverat, lib. 3. de re diplom. c. 6. §. II. Non ideo autem statim documenta ut vera, antiqua licet, admittenda volumus cum Ss. Benedicto XIV. tom. I. Constit. 76. §. 13. in causa Conversana Episcopum inter & Religionem Hierosolymitan. plerumque enim fucum faciunt Monachi, amântque abrogata dudum, & revocata, cassa, & irrita pro merce usitata fraudulenter venundare: innotuit multoties, quam sint adulterina, nimirum eorumdem & perperam coagmentata privilegia, acervum potius dicese loliannis & palearum, quem ad fumum quemdam ciendum, oculosque lippientium obfuscandos sibi comparârunt. Neque ad hujus cognitissimæ rei probationem opus est, ut scrinia compilemus Petri Ludewigi: Multa enim falsa, adulterina aut integrè conficta, vel interpolata pro veris probis, ac legitimis Diplomata tum in Germania, tum in aliis Regionibus circumferri testata res est. Unam tantum ac alteram exempli causâ. Privilegiorum adulterationem juvat adducere. Mattheus Paris ad annum 1238. narrat apud Thomass. p. I. lib. 3. c. 39. n. 8. quod subortis dissidiis inter Archi-Episcopum Cantuariensem, & suum Metropolitanum Monachorum Capitulum Legatus Pontificis ad eosdem conciliandos fese interpolauerit; oblatum est pro Monachis privilegium à B. Thoma

ma Archi-Episcopo & Martyre, ut ferebatur, impetratum. Verum Legatus adulterationem ejus à Monachis factam obductis, quæ officerent, subrogatis, quibus juvarentur, deprehendit, illamque fraudem variis penis merito ultus est. Arnulphus Lexoviensis tam evidenter Privilegii cuiusdam adulterationem retexit, ut illud ad se ab Abbe ipso perferri voluerit Papa, detexit Innocentius III. ipsemet fraudem Sigilli Privilegio appensi. Benedict. XIV. in literis decretalibus super Jurisdictione Episcopi Spirensis 1747. mentionem facit de Petro Blesensi, quod sub nomine Richardi Archi-Episcopi Cantuariensis scripsiterit quondam ad Alexandrum III, opera pretium esse, ut & ipse le muniret adversus hanc Privilegiorum adulterinorum fraudulentiam, & authentica ipsa curiosè & scrupulosè rimaretur, quod frequen-
tissimæ essent eae fraudes in Monasteriis. Falsariorum enim, inquit præstigiosa malitia ita in Episcoporum contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium ferè Monasteriorum exemptione prævaleat, nisi in decisionibus & examinacionibus faciendis index veritatis exactior distictissimus intercedat. S. Franciscus utì alio spiritu, ità sanctissime hortantibus aliquando suis, ut à S. Pontifice Diploma, quo citrà permissionem Episcopi ipsis concionari licet, exprimeret, iisdem respondit: *Adhuc & vos fratres sine intellectu estis, nec scitis voluntatem Dei?* - hoc sit nobis singulare privilegium, nullum habere privilegium, per quod elevemur in superbiam, vel in quo consisi, velimus illi (Episcopo) prejudicare vel lites excitare. Si Vindicensis Abbas ait Thomass. l. c. n. VII. has easdem vias trivisset, non ad eum Ivo Carnotensis Episcopus objurgatorias illas dedisset literas, ubi testatur non posse se illi paternum præstare affectum, à quo justi filiorum ob-
quis

quis fraudaretur: frustrâ ab eo jaētari ab Apostolica Se-de eam sibi libertatem eſe concessam, nec enim eđ pertinere Ecclesiæ Romanae potestatem, ut improbitati & contumaciæ aduersus Pastores bellaturienti Patrocini-um suum & authoritatem præstet, verba literarum sunt: non ergo injustum si tibi subtraho lac matris, qui mibi debitu-m honorem non exhibes patris, noveris enim vanas esse excusationes, quas obtendis --- Cūm Ecclesia Romana à Deo nullam injustam acceperit potestatem fidem violandi scilicet: debita sua cuique non reddendi, sed tantum liganda ligandi, & que sunt solvenda solvendi. Verūm quid hæc operiosius? dicere tantum volo ad diplomatum verita-tem dignoscendam inspicienda esse authographa, eaque ad examen revocanda: Regulam hanc universalem tra-dit Alexander III. in cap. 4. de fide instrument. ibi: jube-mus etiam, ut Archi-Episcopum in inspectione Privilegio-rum duodecim hominum numero faciatis esse contentum.

§. IX.

*Quæ causæ
motiva &
formalitatem im-
portet unio-
nem subj.*

Litteris unionum, Bullâque Apostolicâ, filo, Chartâ, plumbo appenso, stylo diëtaminis scripturæ formâ, & aliis diligenter circumspetis, suppositâ horum omnium legalitate, falsitate notatâ omnino nullâ eorundem contenta & formalia in præsenti examinina-bimus.

Quando unio facta dignoscitur ex hac causa finali & motiva ad præcisum effectum *subveniendi necessitatibus*, & *indigentius Monasterii*, cui sit unio, solummodo comprehendit temporalia, & ad ea duntaxat restricta censetur ex animadversis per *But. in cap. Pastorali 17. n. 10. de privileg., Innocent. ibid. n. I., Rot. dec. 1. n. 5. eti. 44. de union. tom. 3. Cor. clar. mem. Card. Falconerio ibi:*

ibi --- Cum igitur effectus reseditisset in angendis redditibus Monasterii, & iste fuisse causa finalis unionis, inde sequitur Ecclesiam in proprios usus Monasterio concessam intelligenti quo ad solam administrationem, ad hoc ut sibi in temporalibus responderetur &c. Rot. dec. 102. & II. p. II. Rec., in Frisingen juris deputandi Curatos 22. Jun. 1716. §. nec primum Cor. bon. mem. Cerro., & in Valentina Vicariæ 12. Febr. 1734. §. 9. Cor. R. P. D Crescentio Gallicarum Nuntio ibi --- sive igitur speleatur Causa finalis Consulendi indigentis Monasterii &c. à qua desumi regula solet pro interpretanda unione restriktivè ad temporalia tantum.

Vix ulla antiquiores uniorum litteras reperire licet, in quibus non hæc, & similis ratio motiva, ut subveniatur Ecclesiæ in egestate Constituta, expressa est: incorporatio plerumque dicitur facta vel ad mensam, vel ad refectorium ad necessitates, & angarias sublevandas, ne vel antiqua Monasteria interirent, aut nova plantentur vel plantata subsistere possint, Proinde suprà cap. 2. §. 4. uniones diximus ut plurimum temporales tantum ex vulgato planè dictero apud Beneficistas, quod ex unione Beneficiorum nullatenus inferatur illorum Regularitas Rot. dec. 433. n. 15. & seqq. Cor. Bich. & dec. 368. n. 2. Cor. Dunoz Jun. Subide unio temporalis altiori causâ ad consulendum necessitati & utilitati Ecclesiæ, ad cultum Divinum promovendum facta est: unio econtrà subjectiva necessario ac principaliter ejusmodi finem respicit, ut aliter facta vel pro pinquiori sustentatione & decore Personarum ex defectu legitima causa viribus subsistere nequeat, cohaerentur cum dispositione textus: in Cap. Expositi de præbend. Rot. in Urgellen S. Andreæ de La Uriò 7. May. 1731. Cor. Millino §. II. Neutiquam tamen officiente, quod ex unione

unione subiectiva particulare commodum descendat, quod augmentum reddituum, vel supplementum Personis beneficio inferientibus secundariò obveniat, si modò Episcopus in littera unionis principaliter mentis aciem dirigat, ad necessarium honorem vel decus Ecclesiae, sufficiens procul dubio exinde promanat causa, propter quam poterit procedi ad validam unionem, ut Rot. in Celsonen annua prestationis 5. Martii 1717. §. porrò Cor. Card. Falcon. in Vrgellen Vicaria 20. Jun. 1729. Cor. Ratto §. non enim, & §. hancque . ibi -- verba -- in supplementum & augmentum reddituum suæ dignitatis habeant, Non designabant causam finalē unionis in precipua parte præmial ejusdem actus jam expressam pro conservatione scilicet honoris & decoris Ecclesiae, sed solum preseferebant medium necessarium, quo ad eandem causam finalē perveniendum erat -- proinde supplementum & augmentum referri non debet ad causam finalē, sed ad simplicem effectum ipsius unionis.

§. X.

Bulla Formalia pleno jure plenoriè non inferunt unionem subiectivam

Constito itaque de fine unionis primario utilitatem & necessitatem Ecclesiae inferente, ultra ut in corporatio plena & subiectiva facta sit, formalia instrumenti eandem importare necesse est, itaque Imò in litteris unionis si contineantur hæc verba: plenariè unimus pleno jure incorporamus; illa subiectivatam quo ad temporalia, quam spiritualia num facta sit, dubitari posset, quia quam plurimi unionem subiectivam & plenariam sive pleno jure confundunt, sed malè, aliù ut Ventriglia cum Car. Ant. de Luca observ. tom. 2. annot. 8. §. 1. n. 3. P. Schmalzgr. lib. 3. tit. 5. n. 161. P. Pichler. ibid. §. 3. docent tunc accessoriè vel subiectivè uniam

tam fore Ecclesiam; si dicatur in Charta Ecclesiam unius, *annectimus*, *incorporamus*, sed falso. Unio enim Ecclesiae Paracialis, cum onerosa aquae ac autoritati Episcoporum detractionia, sequitur inde, si Ecclesiarum & Episcoporum odia, sint restringenda, unio plenaria, subiectiva, vel etiam hanc Major non statim censenda est incorporatio per haec praeceps verba Bullarum & Chartarum: *pleno jure, plenarie*, sed res ipsa clara esse debet. termini hi sunt aequivoci, & non minus temporalibus seorsim applicabiles, ac conjunctim cum spiritualibus, temporalia *plenarie, pleno jure*, sicut temporalia & spiritualia simul uniri possunt, ita subinde important termini d. unionem cum jurisdictione quasi Episcopali, nempe Majorem, qualis est. c. 3. §. 2. de privil. & cap. 21. *ibid. van Esp Differ. de Prift. alt. incorp. c. 2. §. 1.* ... Ne tamen inferas hoc semper obtinere ut *D. Philippi Diff. de Parochialit. primit. Aug. Trevirorum 1752. edit. c. 2. §. 8.* subinde enim unionem in temporalibus & spiritualibus tantum, accessoriariam scilicet denorant, cuius unionis formulam idem Philippi. *d. Diff. §. 24. cap. 2.* ipsemet attulit: Theodoricus Trevirorum Archi-Episcopus anno 1235. Curam Pastoralem Ecclesie de Naumen cum capellis *pleno jure pacifice & quiete possidendam Ecclesiae S. Crucis in Bouzouilla in perpetuum contulit, salvo tamen suo & successorum jure Archi-Episcopali.* -- *Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. sess. 25. c. 11. de regul. n. 2. & 18. idem in Collect. cod. lib. 1. tit. 2. pag. 33. & 34. auth. haec usus in summ. 3. & 4. ibi - - pleno jure importat totalitatem utroque jure in Spiritualibus & temporalibus.* Subinde unionem temporalem tantum: exemplum habemus in decis. *Rotal. in Frising. juris deputandi cu-*

ratos 24. Martii 1713. Cor. R. P. D. Ansaldo ibi nihil
præter merum fructum & Proventum Parochialis per u-
nionem pleno jure factam Monasterio attributum appetet.
Littera unionis ab Othono Episcopo Frisingensi de anno
1206, tenorem habet sequentem. *Nos igitur desiderio*
& spe tante remunerationis & intuitu divine pietatis Ec-
clesiae S. Mariae de Rottenbuch, & hominibus ibidem Deo
servientibus in tantillo subvenimus, quod eis Ecclesiam
Gressingen cum omnibus sibi attinenib[us] pleno
jure tradimus possidendam. Subinde omnino nullam,
nec temporalem quidem, easi quo habemus jus Pa-
tronatus tantum, & tamen Reectoria vel Pastoria pleno
jure ad nos spectare dignoscitur: Rot. cit. loc. & Phi-
lippi dissert. cit. §. 7. cap. 2. Adeoque nulla certa Re-
gula est, si dicatur pleno jure Pastoria Monasterio vel
Collegiis unita: ex circumstantiis & adjacentibus Con-
ditionibus, modò hanc, modò illam, modò infirmam
si Monasterio Monialium facta, modò medium, si Re-
ligiosis cura demandetur, modò jurisdictionem Epi-
scopalem, exemptionem Cleri & Populi, dum Epi-
scopo conceditur Ecclesia: Petra in Comment. ad Conf.
4. Calist. II. n. 126. Pignat. tom. 9. consult 143. n. 23.
Verum de & per se specificè nullam; ne tamen sine
regulâ procedamus certâ, sequenter pono infallibilem:
termini pleno jure, plenarie, unionem semper infi-
mam & temporalem tantum quo ad redditus, sic &
non aliter plenam important, donec aliud aliunde ex
appositis clarè deceatur, quia quod specificam requi-
rit denominationem, terminis generalibus non confer-
at juxta Vulgata.

§. XI.

§. XI.

Verba Bullæ Unionis si sint: *Dantes quantum in nobis est omne jus -- dantes cum omni jure & pertinentius &c.* Unionem accessoriā quo ad temporalia & spiritualia non probant, quia non est cogitandum, quasi subjectivè cum immuratione vel extinctione titulū plenaria omne jus concessum foret: non est cogitandum, quasi id datum, quod contrarium præfinitioni juris Canonici & Conciliaris: subintrat enim h̄c communis & universalis regula, quam tradit *Bartholomaeus Solinus tract. de regul. & scilicet. regulâ 381. ampl. 3. verba si sunt lata & generalia debent restringi secundum formam juris: dummodo aliquid possint operari, sed sine effectu verba non sunt, quando omne jus temporale, universasque pertinentias, fructus scilicet & proventus annuos, hoc est: Unionem temporalem important, absque eo, quod eorum interpretatio ad subjectivam extendatur; beneficium enim, vel jus concessum ex certa causa restringitur ad illam, inquit quando qualitas Personæ repugnat, vel quandò materia substrata aliter suadet, semper verba salvâ ratione recti sermonis pressius sumenda sunt, ut minus laudent jus commune vel terræ: *Leyser Medicat. ad Pandect. volum. I. spec. 10. de privileg.* Et quod plus est, cura & jurisdictionis spiritualis in animas dignior est, quam ut solummodo generaliter absque speciali expressione omnium jurium nomine veniat: Neque inter pertinentias sine absurdo referri potest, quod in toto principale est.*

Verba Bullæ: *Dantes jus, titulum, possessionem Ecclesiam: regere Ecclesiam &c.* itidem de se non inferunt unionem quo ad spiritualia simul: hoc magistraliter tradit:

Neque unio
subj. venit
sub nomi-
natione
omnium
jurium titu-
li, Ecclesia.

dit : *Rota in Frisingen juris deputandi curatos citata 24.
Mart. 1713. §. complicato Cor. Ansaldo de litera unionis
anno 1206. ibi - - Nos igitur - - in tanillo subvenimus,
quod eis Ecclesiam in Gressenfingen cum omnibus sibi atti-
nentibus pleno jure tradimus possidendum premissa verba,
pergit Rota citata cum nullatenus importarent, aut pre se
ferre possent de per se quidquam Spiritualitatis vel Juris
Ecclesiastici ad summum includere poterant implicitè jus me-
rum presentandi, sive nominandi Parochum, ex quo tale
jus nominandi, vel presentandi dicitur, & est in fructu, ut
ajunt Gloss. & scribentes in Cap. cum Bertholdus de re ju-
dic. Lambert., Card. de Luca, Garc. & variæ decis. Ro-
tal. ibid. relate. Neque alienum à jure est, quod no-
mine Ecclesiae intelligantur bona temporalia vel Jus Pa-
tronatus, ut in cap. 1. relatum de Jure Patron. ibi: - no-
bis visum quod Ecclesia inter Heredes Patroni dividì non
debeat. Per Ecclesiam intelligunt Jus Patronatus, ut
Host: vel fructus & possessiones, & hic intellectus fuit
Petr. de Sampf. & Abb. teste Fag. in cit. cap. n. 2.
& 6. clarè hoc in terminis decisum est in capit. Pastorali
7. de donat: querebatur ibi, si Episcopus consentiente
Patrono Viris Religiosis aliquam Ecclesiam concedat, &
hac utatur simplicitate verborum concedimus vobis illam
Ecclesiam. Quid concescerit propriè præter jus Patro-
natū? Respondeet Innocent. III. Episcopo Heliensi: Si
Episcopus Ecclesiam illis conferat de Consensu Patroni, pro-
fecto Patronus, quod suum est, conferrere videtur, jus videl.
Patron. & Episcopus quod temporaliter obtinet in eadem.
Per què consonat cap. 17. de jure Patr. ibi nullus Laicus
decimas, aut Ecclesiam, aut quidquid Ecclesiastici juris est,
finè concessione sui Pontificis Monasterius vel Canonicis con-
ferat. Concilium Piétaviense 1078. Concilium Vintoniense*

1076.

1076. Concilium Rotomagense 1072. Ecclesiæ Abbati, Monachis, & Canonicis à Laicis donari, illósque donatas accipere graviter prohibuerunt, ex quibus Ecclesiæ donationibus per Laicos factis Monasterio, vel aliis corporibus, ac præsertim Ordinibus Militaribus, Monasteriis, Monialium denique, omnino Ecclesiæ quo ad Spiritualia & curam animarum inhabilium, aperè videmus, quid nomine Ecclesiæ veniat, quanquam Ecclesia secundum latitudinem suam spirituale quid importet, tamen ut potè involvens, & spirituale, & tempora le (Idem de titulo dicimus) concedi potest vel temporaliter tantum, vel simul quo ad utrumque, si specia liter exprimatur, ita juxta van Espen J. E. U. p. 2. tit. 18. de orig. definit. & divisione beneficiorum c. I. Beneficium sumitur pro prædio à scriptoribus media ætatis: pro jure percipiendi proventus, quod datur juxta Vul gatum Bonifacii VIII. beneficium propter officium: pro titulo vel Ecclesiæ, quia jus hoc percipiendi proventus, quod anteà Personis, postea Ecclesiæ annexum est, titulus itaque Ecclesiæ beneficium primò important fructus, 2dò jus ad fructus, 3tiò obligationem, quâ quis tene tur spiritualem aliquam functionem obire, & hoc est omnino spirituale, non tamen strictè ipsum beneficium, sed fundamentum, & causa beneficij, tituli & Ecclesiæ. Andreas Vallenſis l. 3. tit. V. n. 4. van Espen loc. cit. n. 15.

Proin regere Ecclesiæ in Instrumento vel Bulla ad Unionem præcisè subjectivam, & tituli extinctivam, non est extendendum, Monasterium enim & Collegium administrando temporalia Parochiæ bene dicuntur sine inversione reæ sermonis regere Ecclesiæ sibi unitam ex ratione, quod illa tam quo ad temporalia, quam spiritualia regi debeat ac possit, tam subito ad secundam, si

ve mediam hanc, & odiosam unionis speciem non ascen-dimus terminis utriusque primæ & secundæ communib-
bus, aut quoties non constat de contrarietate & in con-ciliabili incompatibilitate verborum Bullæ, & instru-
menti cum unione merè temporali, quæ inconciliabilis
incompatibilitas non est, si dicatur Abbas regere Eccle-siam, ille enim Vicario, & Curato actuali portionem
congruam, sibi verò ceteros fructus, redditus, ac pro-
ventus omnes assignans, Ecclesiam in temporalibus p-le-
no jure regere dicendus est. Denuò

§. XII.

Unio subj.
non est, si
data facul-
tas expo-
nendi Re-
gulares ad
natum
amovibile.

Si in relevamen onerum Monasterio vel Collegio
pro tempore incumbentium Ecclesiæ Parochiales ali-
quæ, quo ad temporalia tantum autoritate ordinariâ
in perpetuum incorporatae, & in eis perpetuæ Vicariæ
institutæ sint, assignatis certis fructibus, redditibus, & pro-
ventibus earundem Ecclesiarum pro Vicariis perpetuis
inibi Domino pro tempore servituris, qui Presbyteri
Seculares existent, nihilominus Abbas Monasterii tan-tâ Ordinarii gratiâ non contentus apud Sedem Aposto-
licam instet, supplicando pro facultate exponendi vel
Regulares, vel Seculares ad onera hujusmodi facilis
supportanda, si insuper etiam ejusmodi indultum au-
thoritate Apostolicâ habeat, quatenus cedentibus, vel
decedentibus perpetuis Vicariis dictarum Ecclesiarum,
qui tunc sunt, vel alias quomodolibet dimittentibus,
eadem Vicarias per singulos idoneos Monachos sui Mo-nasterii ad nutum ponendos, & amovendos, qui Paro-chianorum earundem Ecclesiarum curam gererent ani-marum, deputare libè & licetè valeat: neandum unio-nem subjectivam admittimus per tales Bullam benigni-tate

tate Apostolica reportatam, licet facultatem exponendi Regulares ad nutum amovibiles habeat, Ecclesiae enim Parochiales d. in antiquo Statu Seculari conservantur *Butr. in cap. Pastoralis n. 4. & 6. de donat.* ibi -- licet Monachi recipient redditus in Ecclesia omnes -- tamen oportet, quod conservent Ecclesiam in statu suo. *Turicell. de Union. c. 4. n. 6.* Apostolicum hujusmodi privilegium exponendi Regulares ad nutum amovibiles Monachos tantum habiles reddidit Parochialium administrationi si ne earum Secularis naturae interversione, aut certe, si plus tibi concessum esse velis, plus in literis Apostolicis exhibere debes. Supradicta jam diximus citra mutationem primae naturae beneficii Secularis posse S. Pontificem Regularibus concedere Parochiae retentionem vel administrationem à Personis Regularium illum obicem incompatibilitatis removendo, quem jus positivum à Papa ipso conditum paraverat juxta individuali doctrinam. *Murg. de Benef. q. 8. sub. n. 18. pax Jordan Lucubrat. tom. 2. tract. 2. d. lib. 10. tit. 27. sub n. 17. in fin. Rota decisi. unic. de Stat. Benef. Cor. Achill. de Graff., decis. 343. n. 6. cum seqq. Cor. Pen., & decis. 523. n. 27. & 28. p. 19. Recent.* Sicut etiam potest Regularia Secularibus conferre sine immutatione naturae Regularis, ut passim videmus in Commendis Monasteriorum, Abbatiarum &c. *Card. de Luca de Benef. Ideto disc. 64. n. 6., Rot. dec. 538. n. 2. p. 1. decis. 568. n. 2. p. 3., & decis. 148. n. 10. p. 113. Recent.* Unisonè ad rem citra plenariam ac subjectivam unionem ac sine immutatione primae Sæcularis naturæ, beneficium sacerdotiale administrandi & retinendi jus ex Privilegio Apostolico Regularibus acquiri posse tradunt. *Paris. de Resign. lib. 1. q. 2. n. 116. Letter. lib. cit. quest. 40. n. 209., Pax. Jordan tom.*

tom. 2. cit. loc. n. 1., Card. de Luca cit. loc. & de Pension.
disc. 44. n. 5. quo usque enim datur aliqua compatibilitas cum statu antiquo non est censendus superior animum habuisse mutandi: in terminis formalibus casum nostrum sic proponit. Leuren, in for. Benef. c. 2 - q - 33. n. 5. Si Religiosus præponatur Ecclesiæ Sæculari (etiam ex Indulso Summi Pontificis) non censetur Ecclesiæ illius status immutatus de Sæculari in Regularem, quia, nisi superior hoc declaraverit, non censetur unquam voluisse, ut Regularis ibi deserviat regulariter sed seculariter ac ita, nequidem simplicem usum circa Regimen mutare. Lotter de re Benef. q. 34. n. 59. & 60. nihil prohibet, quod minus Regularis promoveatur ad Parochiale non tanquam Claustral, sed tanquam Rector & Clericus Secularis, ita ut tanquam alienatus à Monasterio.

§. X.

Subjiciuntur aliquæ Unionum formulæ.

Potissimum, quia principaliter de ea agimus unione ut extinto titulo Ecclesiæ transferantur in plenam potestatem Abbatis, unionum Bullæ claris & expressis terminis ita eandem continere debent, ut nullus supersit dubitationi locus, Turricell de union c. 5. n. 6., Barbo, de potest. Episc. p. 3. alleg. 60. n. 40. hujusmodi clara & unionem subiectivam inferentia verba habemus in litteris Apostolicis unionum Benedict. XIV. 1741 editis in favorem Imperialis Monasterii Gengenbacensis: ibi -- unimus, anneximus, & incorporamus in spiritualibus, tum in temporalibus memoratas septem Parochiales Ecclesiis -- Illasque sic unitas, annexas & in corporatas Abbatii & Monachis Monasterii predicti perpetuè subjicimus: in quibus Parochialibus Ecclesiis sic sub-

subjectivè unitis modernus, & pro tempore existentes Abba-
tes D. Monasterii semper teneantur deputare in vicarium ad
sui nutum omnibilem pro unaquaque unum Presbyterum sive
Secularem sive Regularem prævio examine à venerabili &c.
aliam huic similem unionis subjectivæ formam lego in
Aurien Parochialis de Rozamonde 16. Junii. 1721 Cor.
R. P. D. Rovault de Gamaches pro vera & valida Ca-
nonizatam §. nibilominus Ecclesiam -- Et jura cum
decimis, primitiis, & directuris clericalibus, & perti-
nentiis ac cum translatione totalis Curæ animarum cum obliga-
tione & onere, ut animarum Cura & Sacramentorum ad-
ministratio circa Parochianos & fideles ad Monasterium
Abbatem & Monachos ac Successořes semper immineat ac
pertineat, designando ad id operis de Monasterio vel alt-
uinde Presbyteros. Unio hæc plenaria claris his verbis
concepta, facta est ab Alphonſo VIII. Hispaniarum Re-
ge 1137. Monasterio S. Pelagi successivè uniti Monas-
terio S. Martini Ord. S. Bened. -- Vigore indulti A-
postolici à S. M. Urbano II. Concessi 1095. Petro
Hispaniarum Regi, ejusque successoribus pro uniendo
una cum omnibus juribus spiritualibus favore Mono-
steriorum quascunque Parochias existentes in saraceno-
rum terris jure Belli acquisitis, inter quas refertur Pa-
rochia S. Mariae de Rozamonde. Honorius III. dona-
tionem ab Ubertello factam Abbatia S. Rufilli plenariè
translativam & subj. confirmavit his verbis: ss. Petri
Cereto de Meldula, & S. Apolinaris -- cum omnibus ti-
tulis, Ecclesiis, & Capellis -- juribus tam presentibus,
quam futuris, tam in Temporalibus, quam etiam in Spi-
ritualibus -- authoritate Apostolica confirmamus. Eccle-
sias d. Monasterio unitas denud cum aliis suis membris
Pius IV, pontificatus anno V. 1564. sacerdetales effecit ac
K sub.

subjectivè incorporavit & amenſavit Capitulo Sacroſan-
cta Eccleſia Vaticanae: tenore præſentium pèrpetuò Sup-
primimus & extinquimus ac eorum Eccleſias & jura ad
ſatum ſecularem reducimus: nec non omnia & ſingula --
menſe capitulari Baſilicæ applicamus & appropriamus --
ut eorundem ſuppreſſorum Monafeſtiorum -- Eccleſias in
Spiritualibus & temporalibus regere & adminiſtrare, il-
lisque ſi id requirant per Cappellaniſum ſive Cappellanos in
divinis deſervire, & quibus animarum cura imminet, il-
lam per Vicarium ſeu Vicarios idoneos ad eorundem Ca-
nicorum & Capituli nutum ponendos, & amovendos e-
xercere &c. vide decif. Rotæ in Nullius provinçia Rave-
naten. Vicarie 14. Junii 1737. Cor. R. P. D. Calca-
gnino. §. quemadmodum. & §. verū enim verd. plures
alias unionis formulas habes in Differt. D. Philippi &
Reiſs.

§. XIV.

Contentum
capitis III.
quomodo
probetur
unio.

Itaque ex ſuccellivo Doctorum intellectu unio sub-
jeſtiva & plenariè tituli translativa ex huicuſque alle-
gatis neceſſariò probanda eſt, vel per instrumentum
publicum, validumque ejusdem diploma expreſſum
vel per rem iudicatam, vel denique per immemorabi-
lem aut quadragenariam cum titulo ad notata per Garc.
de benef. p. 12. c. 2. n. 226. & ſeqq. Louter de re benef. l. I.
q. 28. n. 105. Turriceſ. de union. c. 11. n. 5. & 9. & n. 181.
Rot. in Recent. dec. 91. n. 1. Rot. Cor. Priol. dec. 277.
n. 9. & dec. 656. n. 5. Cor. Card. Cerro: & in alia Ge-
runden. Parochialis 4. Jul. 1696. §. non obſtar Cor. Em-
merix Jun. confirmata 23. Jan. 1697. §. nec iterum Cor.
R. P. D. Muto, ita, Ex dec. Rotæ Romanæ Cor. Anſal-
do de Anſaldis Patricio Florentino dec. 47. n. 2. per
Hye-

Hyeronimum Palma. Hucusque de unionis privilegio non tam facilè dando egimus, nunc de ejusdem faciliiori amissione pauca dicemus.

§. Finalis.

Ex eo, quòd dicantur Privilegia Universitati concessa, per non usum non aboleri, pariter de privilegio Pontificio Monasteriis Concesso idem dicendum esse videri posset, si ad unum, alterūmque, aut plures etiam annos clericō sacerdotali Parochia pleno aliās jure incorporata committeretur: juri enim naturā incorporationis omnino hoc conforme est, ut nempe in beneficiis ad Monasterium pleno jure spectantibus exponatur ad libitum Rectoris habitualis vel Clericus Sacerdotalis vel Regularis ut videre est apud Schmier lib. 3. t. I. p. 2. c. 3. n. 53. Reiffenst. ad tit. de cap. Monach. n. 8., Engel de priv. & jur. Monast. priv. 46. n. 3., Lotter de re benef. lib. I. q. 34. n. 52. quando beneficium est unitum Monasterio pleno jure vel ad mensam, tunc potest illud facere deserviri per vicarium ad nutum amovibilem &c. & hæc est opinio, à qua nullus discrepat; sic anno 1741. Benedictus XIV. idem de unione plenaria favore Monasterii Gengenbacensis omnino expressit sub terminis formalibus: *ut teneatur Abbas D. Monasterii pro unaquaque ex Ecclesiis deputare unum Presbyterum sive Sacerdotem sive Regularem.* Quomodo jam vel quā ratione jus taliter alternativē vel disjunctivē concessum, aut negligi aut amitti censendum est? dum vel maximē intra terminos sibi concessos exercetur arg. cap. in alternativis 70. de R. f. in 6to. Aetiusmerā facultatis, in libera elecione Monasterii positus nūnquid in ejusdem odium & præjudicium detorquendus est? hodie omnes mendicantes

De Unionis
subj. amil-
fione, &
reditu Bene-
ficii ad sta-
tum primæ-
vum.

ac Monasteria Monachorum post bullam Pii V. quæ est
 47. habent facultatem exponendi ad Parochias pleno ju-
 re incorporatas Regularem. anno 1638. emanavit con-
 stitutio, quā S. M. Urbanus VIII. indulserat Monachis
 O. S. Benedicti renovando alias Praedecessorum Conces-
 siones, posse in Parochialibus eorum Monasteriis uni-
 tis vel Regulares vel Sæculares ad exercitium curæ am-
 marum assumere; Nemo jam dicet, si Presbyteros sæcu-
 lares præsentent, quod sibi præjudicent, & quod tunc
 contra eos induci possit præscriptio, quod quis liberè ne-
 mine cogente facit vel omittit, in illo nulla est allegabi-
 lis præscriptio quanquam immemorabilis Rot. in recent.
 dec. 11. n. 9. , dec. 365. n. 4. p. 2. , dec. 396. n. 6. p. 4.
 &c. Attento planè & vel maximè, quod nulla quo ad
 hoc punctum præscriptio locum habeat nisi concurrat
 qualitas coactiva: in similibus necessaria est prohibitio
 unius & alterius acquiescentia, sine quibus illa series de-
 putationum factarum de sæcularibus refertur ad arbit-
 trium, quod eos æquè ac Regulares deputandi compe-
 tebat, ut disserte Piton. discept. 79. n. 5. tom. 3. Roi. in
 Recent dec. 221. n. 8. part. prima &c. Procedunt hæc
 ex supposito unionis plenaria indubitate.

Fateor Privilegia de & per se loquendo per non
 usum nullatenus amitti, & per actus facultativos in re-
 gula præscriptionem interrumpi nullam, nec ullam in
 oppositum induci, nisi à die petitionis & denegationis
 ac petentis acquiescentia. P. Schmier. lib. 3. tr. I. p. 2. c.
 3. , Tamb. de jure Abb. tom. 3. disp. 9. quæst. 8. n. 9.
 Leuren. in for. benef. p. 1. c. 2. q. 38. n. 5. , Passerin. ad
 cap. cum de benef. 5. de præb. in 6to n. 10. & seqq. ubi
 Bonifacius VIII. id in terminis decisum reliquit. Multas
 tamen regula patitur limitationes, neque moto dubio
 parti

parti adversæ in malam vertimus partem, si retorſio af-
feratur in contrarium, quomodo posſes quærere, quo-
modo in facultativis unius vel alterius expositio poterit
præjudicare? planè mille actus finè prohibitionē, sine
revocatione licentia, indulti vel comendā ſufficient pro
Monasterio in caſu ad Parochiam à Seculari ad ſtatum
Regularitatis transferendam, imò poſto hoc figurato
caſu prohibitionis & acquiescentiæ ad dictum effectum
nova, eaque non alia, quam ad minùs quadraginta an-
norum poſſeffio requiritur, quâ Regulares benefi-
cium tale ut Regularē & jure proprio cum exclusio-
ne ſecularium poſſeffiffent. p. tradita cit. Schmier. Tamb.
Leuren. Pafferin.

Contrarium tamen aſſerit Felin. in cap. cum acceſ-
ſiffent n. 3. de Conſtit., Azor. p. 1. lib. 5. c. 22. q. 8. Rot.
in Salisb. Vicariæ 16. Jan. 1719. §. verò coram Falcone-
rio. ibi -- Regula verò, quid in actibus facultativis non
cadit præscriptio, redditur inapplicabilis, nam primò hic
non agitur de libera facultate ex jure gentium competente,
quâ ſi quis per mille annos non utatur, ſibi non præjudicat,
ſed de prætenſa facultate deputandi Regularem ex titulo u-
nionis Ecclef. & ſic ex jure queſtio, quo caſu verius ap-
pellatur jus, quam facultas, eique recte præſcribitur per non
uſum. Distinguendum itaque eſt inter non uſum ſim-
plicem & oneroſum: privilegia per non uſum non aboliſi
intelligendum hoc de ſimplici non uſu, h. e. pri-
vilegio merè gratioſo in nullius gravamen & onus ver-
gente, nunquam per non uſum ſic ſimplicem præſcribi-
tur: aliud eſt, ubi agitur de privilegio non merè facul-
tativo, ſed oneroſo & jurium 3tii laſivo, ubi locum
habet præscriptio, vel ex ſolo non uſu, vel etiam uſu con-
trario citra ullam protestationem continuato, prout eſt

K 3

com-

co^mmunis DD. Gail. l. 2. obs. 60. n. 2 - in l. nundinis, ff.
de nundinis juncta Glossa vers. tempore., Reiffenst. ad tit. de
privileg. n. 204., Schmalzg. n. 189. & 193. Quippe a-
liud importat constans usus privilegio contrarius obser-
vatus praesertim latissimo centenariæ spatio, quæ vim
legis habet cum in linea interpretativa declarando, scili-
cet factum, seu jus ambiguum per text. l. 37. ff. de leg. &
l. quædam ff. de reb. dub. Rota in Frising. juris deputandi
curatos 29. Martii 1713. Cor. Ansaldo., Fargna de jure
Patr. p. 1. Cun. 5. Cas. 14. Quam etiam in linea præ-
scriptionis ad effectum, scilicet allegandi quemcunque
titulum meliorem de mundo firmiorem, validiorēmque,
ut in specie hujusmodi privilegiorum unionis, seu de-
putandi Monachos ad Regimen Parochialium, quæ ab
Abbatibus & Monasteriis objiciebantur, frequentissimè
respondit. Rot. Cor. Falconerio Tit. de Union. decis. 1. n.
13., Cor. Molines, decis. 660. n. 10. & decis. 1267. n. 5.,
Cor. Ansaldo decis. 673. n. 10. & in Brixien, super bono
jure 28. Novembr. 1727. §. ceterum. Cor. Eminentissimo
D. Card. Aldrovando ibi: Ex quo exuberanti centena-
riæ præsidio dubium non est, quin legitima insurgat ju-
ris præsumptio constantissimè suadens, vel quod titu-
lus rememoratae unionis, tanquam subreptionis vitio o-
riginariè infectus remanserit effectu destitutus, vel quod
successivè pervenerit alter novus titulus dispositioni ju-
ris communis, & Concilio Trid. & Constitutioni Pia-
næ consentaneus circa privativam Presbyterorum tan-
tum Sæcularium deputationem juxta solidum effectum
ac virtutem Centenariæ. Itaque ex non usu Centenario
prælumitur supervenisse contra antiquum statum velle-
gem, aut Privilegium aliqua Concordia vel nova lex, aut
Constitutio præscribens, quod etiamsi de jure, vel alias
me-

mediante privilegio per antea valuerint nominari, atque praesentari Vicarii amovibiles, ad tempus etiam Regulares, imposterum tamen nominari, aut praesentari nequirent, nisi Sacerdotes Seculares Rota in Frising. citai. Cor. Ansaldo, Card. de Luc. de Reg. discept. 47. n. 8. & de Jure Patr. disc. 65. n. 4.

Uti semper, ita nunc Secularium praे Regularibus favorabiliorem conditionem facit juris communis assistentia, ubi enim de jure qualitas Secularitatis beneficio vel Parochiae connaturalis & originaria, hanc denuo ut recuperet, sicque primavam naturam induat, sufficit non usus privilegiorum praesentandi Regulares per solos 40. annos, ut punctualissime consideravit. *Rota in Brixiens. Jurisdict. 27. Jun. 1710. Cor. Kauniz. ad text. in cap. qui de terra, & in cap. accendentibus de privilegiis. Lotter de re benef. lib. I. q. 34. n. 45., Pax. Jordan elucubr. tom 2. lib. 10. tit. 27. n. 6. Garz. de benef. p. 7. c. 10. n. 37.* Etiam ex supposito unionis, de quo supra privilegium five unionem etiam plenariam tali non usu amitti, ait Rot. cit. in Brixiens. Cor. Kauniz §. Juris assistentia & §. hucusque vel nihilominus ibi -- cum Commendarii semper praesentaverint Presbyteros Seculares insecuris vacationibus, videntur quo ad controversam Ecclesiam privilegia sua amisisse, ad quem effectum, & faciendi redditum ad jus commune sufficeret non usus privilegiorum per spatium 30. vel 40. annorum.

Nec refragatur, quod præsentationes Sacerdotum secularium sint actus facultativi, quia id superlativè à multiplicitate, & diversitate Abbatum excluditur, qui passi sunt regi Parochiam per Sacerdotes Seculares sine reservatione: juxta animadversa per Rot. in Burgen, jenaculorum 28. Junii 1697. §. altera Cor. Pio & in Romana

mana Alimentorum 9. Decembr. 1697 & 23. Jun. 1698.
 §. altera Cor. Ursino, Ursaya tom. VI. p. 2. discep. 41. n.
 25. ubi Ecclesiæ parochiales unitæ Monasterio aut or-
 dini Regularium solita fuerint regi per vicarios & Sa-
 credotes sacerdotes sacerdotales, non possunt ad ipsos præsentari Re-
 gulares, ut resolutum per Rot. cit. in Brixiens §. hæc
 vero Cor. Kauniz. Non, inquam, refragatur, si dic-
 tur deputationes has sacerdotalium ferendas esse arbitrio
 & facultati Abbatum dignis ex causis id permittentium
 prout non raro contingit: nam imò solidè ostensum
 est, nullatenus ad actus facultativos rejici posse depu-
 tationes presbyterorum sacerdotalium perenni usu conti-
 nuatas. 2dō Minus id credi potest, cum Monachi non
 semel, sed pluries haec tenus conquisiverint privilegia
 pro facultate deputandi Regularis, & quidem non ali-
 am ob causam, quam inopie. Rot. in salisburg. vica-
 riæ Cor. Falconerio sub. tit. deo union. dec. 2. n. 4. & in ejus
 confirmatoria 30. April 1717. Cor. Foscari §. veruntamen.
 Quomodo ex causa retinendi Monachos in claustris, aut
 alia abstinuisse Abbatem à simili deputatione, ad arbitri-
 um & facultatem referemus? non usus privilegii, quan-
 do posset eo uti privilegiarius oblatâ scilicet occasione,
 si sciens & volens non utatur privilegio, est abjectio
 illius interpretativa, quæ caudam dedit, ut leges præscri-
 ptionem inducerent, requiritur tamen, ut tantum tem-
 pus sit lapsus, ex quo præsumatur animus se abdicandi
 di privilegio: sic Privilégium non solvendi decimas
 competens Cisterciensium ordini amissum est solutione
 earum tempore 40. annorum cap. si de terra 6. tit. de
 Privilég. junct. Cap. ex p. 10. cap. nuper 34. de decimis
 Gonz. in cit. cap. de terra n. 7. Schmalzgr. &c.

Profine notamus de reversione ad primævum sta-
 tum

tum sacerdotialis, quod actus unioni subjectivæ contrarii v.g. prævius concursus, aut aliae circumstantiæ: Præsentationes ex causa juris patr. in titulum, & cum pleno jure percipiendi fructus & emolumenta Parochialia, amotiones Parochorum, eorumque resignations authoritate curiæ Episcopalis &c. eidem sacerdotiali accedant, adeoque aditum faciant statum pristinum reassumendi stante principio in initio posito, & inconcusso, quod d. actus semper fulciantur validissimâ juris præsumptione & assistentiâ Sacerdotalem beneficiorum omnium qualitatem prorsus confoveant, itemque Sac. Canonum censurâ perpetuâ improbante Monachos è claustris discedere, abjicere primordiale Regularis disciplinæ propositum & animarum curam suscipere.

T A N T U M.



CORO-

COROLLARIA EX UNIVERSO JURE.

1. *Jus naturæ est voluntas Authoris naturæ homini per lumen rationis promulgata.*
2. *Principium ejus primum est sensus cause potioris in amore Dei, sū, & proximi.*
3. *Jus naturæ à jure gentium distinctum non datur.*
4. *Leges & jura naturalia nituntur obligatione intrinseca, his & Athens obstrictus vivit.*
5. *Præscriptio non est juris naturæ.*
6. *Uti & testamenta vel successio ab intestato jure naturæ incognita sunt.*
7. *Tutela Electoralis salvo A. B. textu testamento dari potest.*
8. *Majestas immediatè à populo est.*
9. *Jus in Sacra Principi assertum inventum novum est.*
10. *Neque vi statu naturalis, neque vi legis divinae veteris vel novæ ad supremam potestatem civilem pertinet.*
11. *Bellum jure naturæ & Divino etiam Christiani illicitum non est.*
12. *Fœdera cum infidelibus per se & ex sua natura non sunt illicita.*
13. *Ordinariè tamen non licet Principi Catholicò fœdera cum infidelibus inire.*
14. *Ea inita ad oppugnandum fideles jure naturæ nulla sunt.*
15. *Defensio vite propriæ, bonorum naturalium & fortunæ in notabili quantitate justa & licita est, etiam cum occisione aggressoris injusti.*
16. *Pax bello injusto sive vi aut metu extorta nullo jure subsistit.*
17. *Statibus Imperij immediatis competit jus eligendi sibi Protectores & Advocatos.*
18. *Etiam facultas pangendi fœdera cum exteris.*
19. *Datur Ecclesiastica Hierarchia, ejusque capiti competit potestas condendi leges.*
20. *Promulgatio legis Ecclesiastice duntaxat Rome facta non est sufficiens, ut per eandem omnes ubique fideles obligentur.*
21. *Sede*

Sede Papali vacante possunt Ordinarii beneficia in mensibus ceteroquin Papalibus conferre. 22. Concordata Nationis Germanicae non sunt mera Curiae Romanae gratia, sed post exceptiones à regula. 23. Summus Pontifex nequam potest considerari ut Iudex Concordatorum. 24. Vat let consuetudo vel præscriptio immemorialis contra Concordata. 25. S. Pontifex tamen ex plenitudine potestatis eisdem in nullo derogare potest. 26. Frustrè Bullas posteriores vel Regulas Cancellariae eisdem in ullo derogare allegas. 27. Beneficia, quæ promoti ad Episcopatum dispensatione Pontificâ retinueré, post mortem non sunt reservata S. Pontifici. 28. Per Abbatem exemplio à jurisdictione Ordinarii acquiri nequit, nisi titulo expresso vel immemorabilis cum omnibus suis requisitis. 29. Abbas instituionem Authorizabilem etiam in Ecclesiis Monasterio subjectivè unitis nullo tempore præscribere potest. 30. Jus primariarum precum originem sicutem trahit ab indulto S. Pontificis. 31. Juris Patronatus venditio Simonia est contra ius naturale divinum. 32. In Postulatione Coadjutoris perpetui ad dignitatem Electivam non requiritur indulsum eligibilitatis in habente jam Episcopatum equé, ac in non habente. 33. Item non requiruntur due iurie, sed sufficiunt Majora & saniora Capituli. 34. Usuæ moderatæ de jure naturæ non sunt prohibitæ. 35. S. C. Maced. filium familias deobligat in Conscientia. 36. Transactio ob enormem etiam Lesionem rescindi nequit. 37. Mulier ratione datis præfertur Creditoribus expressam Hypothecam anteriorem habentibus. 38. Possessor b. f. fructus consumptus et si locupletior factus non restituet. 39. Testamentum debitum cum solennitatibus validum est pro utroque foro. 40. Sine debiti Solennitatibus invalidum pro utroque fore 41. Juramentum contractui de jure invalidum adjectum eundem

non firmat intrinsecè. 42. Præscriptio etiam immemorialis corruit dæcetio titulo vitioso, & de jure inkabili. 43. Sponsalia secunda ab initio nulla postea obligant, si priora soluta fuerint per cessionem vel aliter. 44. Matrimonium coram Parochio & testibus sub conditione initum illâ purificata perficitur absque novo consensu & Parochi præsentia. 45. Vinculum Matrimonii de jure naturæ indissoluble est. 46. Legitimati per subsequens Matrimonium succedunt in feudis. 47. Clerici Seculares feudorum Francorum & gentilitiorum capaces sunt. 48. Titubatio lingue, trepidatio, Pallor & rubor sunt ambigua criminis & innocencie signa. 49. Feripete, & ferarum sues sub certis circumstantiis ultimo suppicio rectè afficiuntur. 50. Prædatores, si in viis publicis sæpius rapinam commiserint, capite puniuntur.



Kr 3689

X 2418016

1018.

ME.





4

RTATIO
ONICA
DE
PAROCHIALIUM
RITATE,

ONE SUBJECTIVA
RIIS FACTA,

H O R E

MICHAELIO SCHLÖR,

IN HOSPITALI ELECTORALI MILITUM
MOGUNTIAE p. & PAROCHE.

iii Anno 1753.



N T I A E,

privil. apud Hæred. Häffner.
etrum Bayer.

B.I.G.